





SYNODI VERCELLENSES TRES

QVARTA, QVINTA, ET SEXTA

QVAE

A REVERENDISS. DOMINO

D. I. FRANCISCO BONHOMIO

Episcopo

S. ECCLESIAE VERCELLENSIS,

DE MORE

habitæ ſunt

Ad Tridentini decreti præſcriptum.

HIS

additæ ſunt inſtructiones, & conſtitutiones quas in lucem edi, ſuo loco infra decretum eſt.



MEDIOLANI.

Apud Pacificum Pontium.

M. D. LXXX.



I. FRANCISCVS BONHOMIVS DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPVS

S. ECCLESIAE VERCELLENSIS, VNIVERSO CLERO, ET POPVLO VERCELLENSI,

Salutem in Domino.





AM nobis, qui pastores animarum sumus, curam Christus Dominus proposuit, ut omni sollicitudine oues, fidei nostræ commissas, à uallibus ad montes, à terrenis scilicet rebus ad cœlestes, ab humanis ad diuinas, à caducis ad æternas reuocare studeamus. Hæc porro cura ut una omnium maxima est: sic ualde sollicitos perpetuo nos habere debet. Quo fit, ut cum cetera pasto

ralia munera, in quibus sanctißimorum Episcoporum vigilantia eluxit, amplectenda nobis sint; tum certe etiam in id incumbendum est summo studio, vt, pro viribus nostris, ad vsum perpetuum illa inducamus, quibus oecumenica Synodus Tridentina potißimum, et ipsis pastorum officijs, et animarum saluti, et diœcesium spiritualibus adiumentis, commodisq. consultum esse voluit. Et vero in ijs præter alia, quæ sanè permulta sunt, illa quoque anniuersaria synodi diœcesanæ actio plane censetur. Nã hanc profecto ipsam rectam gregis, optima disciplina pascendi, viam, rationemq. veteres patres, tàm latini, quàm græci susceperunt; eandemq. nobis tritam reliquerunt. Huc enim referuntur editæ, ac peruulgatæ non modò summorum pontificum, et in primis beatißimi Leonis Magni sanctiones, verum etiam Episcoporum, omni laude præcellentium, qui in sacrosancto Nicæno concilio priore interfuerunt, grauißimæ sententiæ. Immo Episcopus Myrensis, sanctus Nicolaus, omnium virtutum episcopalium imitatione sempiterna dignus, qui in eo frequentißimo patrum conuentu Nicææ præsens ad-

adfuisse putatur, id institutum, atque consuetudinem ita executus est, vt synodum quotannis habere prætermiserit ferè nunquam. Diuini huius viri exemplum, quod pietatis studio sequimur, cum præsertim die eius natali, qui dies est viij. idus Decembris, in lucem editi simus, valde admodum nos ad hoc incendit, vt non solum insisteremus; sed longius in via synodalis anniuersariæ actionis progrederemur, quam iam pridem ingressi sumus Tridentinæ sanctionis auctoritate, et officij etiam nostri pastoralis ratione, quæ tota progressionibus suis referenda est ad illam gregis curam præstantissimam. Itaque, vt in eo pastorali instituto, vsq. perpetuo versaremur, non solum decretum confecimus, quo diem certum Synodo in singulos annos præfiximus; verum, Deo bene iuuante, præstitimus, quod firma animi deliberatione, episcopaliq. industria vtiliter exequendum statuimus. Iam vero enim Synodos sex de more habuimus: qua ex re perspicuum sit, nos posteaquàm ecclesiæ Vercellensi præsumus, non præterijsse, nisi semel tantùm, hoc anniuersarium synodalis actionis officium: idq. cur commiserimus, ratio-

rationes decreto diœcesano attulimus, quod unà cum ceteris libro hoc exprimi, atque adeo imprimi voluimus, ut non tam eius intermissionis causa testata fieret, quàm nota esset, ac plane explicata rei, salutariter susceptæ, eiusdem in perpetuum retinendæ voluntas. Quinque fermè abhinc annis superiores tres Synodos in lucem emisimus: nunc reliquas tres, quæ deinceps ordine habitæ sunt, vobis edimus. Et quamquam constitutionum synodaliũ librum, cuius euulgandi spem vobis dedimus, hoc tempore non proferimus; non est propterea tamen, cur quisquam putet, illius editionis nos mutasse consilium. Quinimo rei conficiendæ studio eò ardentiori sumus, quòd cum à vobis aliquando nos abesse contingat; extare vehementer cupimus omnia fere omnium salutarium rerum impressa vestigia, charitatisq. erga vos nostræ monimenta, litteris consignata: quibus ad omne disciplinæ institutionisq. vestræ officium illi vtantur, quorum vicariam operam, ministeriumq. adhibemus ad ecclesiam Vercellensem, nobis commissam, recte gerendam. Nam cum in omnibus ingens sollicitudo extitit Eusebij sanctissi-

*ctissimi martyris, cuius moribus, atque doctri-
na olim hic clerus, populusq. imbutus est: tum
in eo etiam singularis paternæq. dilectionis offi-
cio dignissima diligentia, quòd, cum absuerat,
ad illius instituendi studium præter exemplo-
rum vestigia, quæ reliquerat, scripta etiam
adhibuit, quibus absens illum pasceret, ac gu-
bernaret. Hoc animo, hac mente nos sumus, vt
idem præstemus constitutionum nostrarum vo
lumine: quod si nondum emisimus, occupationes
visitationum apostolicarum, quibus deesse nul
lo modo potuimus, et alias curas, muneri no-
stro pastorali adiunctas, habuimus, quæ editio-
nis officium retardarunt. Sed quod dilatum
est, ita posthac in tempore, Dei gratia adiutri-
ce, exequemur, vt planè intelligatis, nostras co
gitationes, consilia, et omnia rei perficiendæ stu-
dia in communem vestram vtilitatem, spiritua
liaq. commoda perpetuò conferri. Interea ve-
ro vobis edimus, atque euulgamus decreta hæc
trium synodorum: in quibus sanciendis si quæ
sollicitudo nostra fuit, certè vestra in ijsdem ser
uandis, atque exequendis diligentia non mini-
ma esse debet, sed vsque adeo obedientiæ studio*

in

in omnes partes excitata, vt constet fructus cùm omnis curæ nostræ pastoralis, tum vero synodalium laborum, quos vestra causa suscipimus. Valete in Domino.

DECRE-

168

DECRETA
EDITA, ET PROMVLGATA
IN SYNODO DIOECESANA VERCELLENSI IIII.

habita

An. a CHR. NAT. M D LXXVI.

A REVERENDISSIMO D. D.
I. FRANCISCO BONHOMIO,
Dei, & Sedis Apostolicæ gratia
EPISCOPO
S. Ecclesiæ Vercellensis.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS,

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

NOs Ioannes Franciſcus Bonhomius, Dei et Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Vercellarum, et Comes, ad Dei Omnipotentis, Beatæq. Mariæ ſemper virginis, ac Sancti Euſebii Epiſcopi, et martyris laudem, hęc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ cõformatione, qua Clerum, populumq. fidei noſtræ concreditum, prælucere, totis in Chriſto viſceribus expetimus, in noſtra Synodo Diœceſana quarta decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.

DECRETVM. I.

IN laqueorum medio nos ambulare, diuinis litteris traditum eſt: omniaq. eſſe periculorum plena; S. Apoſtolus Paulus monet. Paſtoralis igitur vigilantiæ eſt, non modo periculis obuiam ire, ſed omnem periculoſam peccandi occaſionem, quantum in ſe eſt, eripere. Itaque quoniam et ex patrum ſermonibus didicimus, et vſu cõperimus, quàm magno cum periculo illud ſit, clericalis

ordinis homines, qui in ſortem Domini vocati, diui-narumq. rerum miniſterio addicti, ſe caſtos exhibere eidem Christo Domino debent, vnà cum fœminis, etiã cognationis vinculo iunctis, habitare: nos, vt ne, ſicut ſerpens Euam astutia ſua ſeduxit, ita cleri noſtri mores ab eodem ſerpente tam opportuna, periculoſaq. peccandi occaſione corrumpantur, excidantq. a clericali caſtimonia; id ſi minus, vt cupimus, at ſaltem ali qua ratione cauere uoluimus. Quare, pœnis grauiſſimis, pro modo culpæ arbitratu noſtro irrogandis, vetamus, ac ſancimus, ut ne quis ciuitatis, diœceſisq. Vercellenſis eccleſiaſticus homo, quocumque ordine, gradu, conditione, ac dignitate præditus, cum propinquis, mulieribus unà habitet: niſi mater ſit, ſoror, amita, uel ad ſummum fratris uxor. Ac ne cum ijs quidem ipſis liceat, niſi cui a nobis, aut a vicario noſtro generali, facultate litteris exarata, ſpeciatim conceſſum ſit. Suſpectarum autem mulierum, et adoleſcentularum, quamuis ſpectata vitæ probitate ſint, famulatu interdicimus omnino. Verum ſeniores, ætateue grauiores fœminas ſimul cum eccleſiaſtici ordinis hominibus habitare, potius permittimus, quàm concedimus: ita tamen, ut perſpectis prius atque cognitis per nos, vicariũue noſtrum generalem illarum uitæ moribus, probatisq. eiuſmodi habitationis, famulatuſue facultas, ſcripto teſtificata, uel a nobis, uel ab eo gratis detur.

DECRETVM. II.

IAMPRIDEM prouincialis Synodi Mediolanensis primæ, sacrosancta summi Pontificis auctoritate communitæ, et aliquot ante annis promulgatæ, decreto illud utiliter, prudenterq. cautum est, sacerdotes, quibus audiendæ confessionis munus committatur, pios, bene moratos, doctos, prudentes, patientes, de animarum salute sollicitos, alijsq. sanctis uirtutibus præstantes, ab Episcopo primum deligi, ac probari; deinde eorum, qui probati sunt, nomina, et cognomina describi, publiceq. in foribus sacristiæ affigi, ut hac ratione posset quisque animæ suæ saluti securius prouidere. Sed quoniam decretum illud tam salutare, non sine pernicie gregis, curæ, fideiq. nostræ concrediti, negligentius obseruari animaduertimus; ideo, nos, ut et omnem tergiuersandi ansam eripiamus, et illius decreti recte exequendi certam rationem statuamus, hæc plane præcipimus, ac iubemus. Primo ut sacerdotum, quos confessarios idoneos adhibita examinis ratione, probauerimus, nomina, et cognomina, recte descripta, in foribus sacristiæ, alioue commodiori, et frequentiori loco cuiuscumque ecclesiæ, ubi confessiones audiri solent, publice proponantur, atque affigantur. Deinde nemo, uel uir, uel fœmina, uel ecclesiasticus, uel laicus, cuiuscumque ætatis, alij confessario sacerdoti culpas, peccataq. sua confiteatur, quàm uni ex illis probatis, publiceq. propositis, quorum delectum habere poterit. Paro-

chis

chis prӕterea, animarumue curatoribus, mandamus graui pœna proposita, quam arbitratu nostro irrogabimus, ut à sanctissimӕ Eucharistiӕ susceptione repellant, qui alios, quàm probatos illos, publiceq. propositos, confeßarios Sacerdotes, ad peccatorum confessionem adhibuerint.

DECRETVM. III.

ANASTASII Imperatoris lege augustali iampridem sunt antiquata, ac plane uetita, festiua illa spectacula, quӕ Romӕ olim cum uoluptarie mense Maio fierent, Maiuma nuncupata sunt. A quibus iuris prudentum iudicio non dissimile id putatur, quod his temporibus, non sine magna Christianӕ pietatis offensione, arborum frondescentium, quӕ incisӕ passim per urbem, oppida, uicosq. in plateis, ac triuijs eriguntur, ludibundo spectaculo agitur calẽdis Maij, qui dies sanctorum Apostolorum solemnitati consecratus est. Hunc deprauatum erigendi maiuma usum, moremq. a satana ad animarum perniciem inuentum, et gentiũ, a fide nostra abhorrentium, consuetudine primò introductum, Christianӕq. religionis institutis plane repugnantem, cum in urbe diœcesiq. Vercellensi retineri, atque adeo conseruari uideamus, omni ratione, qua maxima possumus, radicitus conuellere debemus; prӕsertim cum inde existere animaduertamus pestiferum quoddam seminarium grauium malorum. Nam prӕ-

ter quàm quòd, detestabilis mos est, et cum gentium impiarum ludis conueniens, affert etiam, et religioni offensionem, et fidelium animabus exitiosa detrimenta, et corporibus mala, atque incommoda. Primum nefaria illa actione uiolatur eorum sanctissimorum Apostolorum religiosus, et festus dies, qui illis calendis ex solemni Ecclesiæ celebritate coli pie sancteq. debet. Tum hoc etiam inde extat, quòd, homines quidam illius ridiculæ, ac ludibundæ actionis cupiditate, atque uoluptate prolapsi, Mißæ sacrificio adeße eo sacro die, quo debent, perniciose negligunt, et arbores alienas furtim per vim atque iniuriam præcidunt. Hinc illa manant, conuitia scilicet, rixæ, contentiones, iniuriæ, odia, inimicitiæ, et cædes interdum. Accedit præterea, quòd comeßationes, et compotationes fiunt, quibuscum, et ebrietates, et obscæne dicta, et inhonestæ actiones, et perniciosæ ad omnia opera carnis illecebræ, et alia plurima mala perpetuo cõiuncta sunt, non sine magna nominis Christiani iniuria, ac maxima salutis animarum pernicie. Nos igitur, et sacrorum canonum iure, et sacrosanctis sanctionibus, et Concilij in primis Tridẽtini decretis, quibus corruptelas, a pietatis Christianæ usu, cultuq. alienas, omni pastoralis uigilantiæ officio tolli iußum est, et lege etiam ipsa augustali, et nostræ curæ munere adducti, cum præsertim conscij simus, si quam uel in grege commißo gubernando, uel in eripiendis morum erroribus, culpam,

negli-

negligentiamue contraxerimus, Deo rationem in die iudicij reddituros esse; illud Parochis, Ecclesiarumq. rectoribus edicimus, atque iubemus, ut, propositis maximis Dei offensionibus, et commostratis detrimentis, ac damnis, quæ plurima inde tum animæ, tum corpori eueniunt, fideles, sibi in curam traditos, a re illa perniciosa, quæ gentiliciæ superstitionis speciem quandam exhibet, paterna charitate reuocare studeant ad omnes partes religiosi cultus; quo eorum sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi dies festus illis calendis coli sanctificariq. debet. Ac proinde quidem abiectis maiumis, quæ turbulenta illa præcisarum arborum erectione, uoluptario quodam, prophanoq. clamore, saltationibus, ac tympanorum strepitu agebantur, fideles opera pietatis diligentius amplexi, festum diem illum de Ecclesiæ more celebrēt hymnis, canticis, supplicationibus, processionibus, alijsq. sancte agendi officijs. Arborum præterea loco, excitati imitatione sancti illius Apostoli Philippi, qui pro Dei gloria cruci affixus est, sacrosanctam arborem crucis, in qua auctor humanæ redemptionis pependit Christus Dominus, tanto religiosius in conspicuis locis publice erigant; quanto grauius se peccare uident in diabolicis maiumis. In quorum usu retinendo si quos obfirmato, obstinatoq. animo persistere parochi uiderint; cum aliquando monuerint; eorū nomina ad nos deferant, quò studiosius tantæ offensioni pro curæ nostræ officio medeamur. Hoc autem nostrum

ſtrum decretum, ut, quanto ſæpius repetitum, tanto diligentius ad executionis uſum perducatur; idem, communi ſermone explicatum, quotãnis die Dominico, qui calendas Maij proxime præcedit, frequentiſſimo populo intra Miſsarum ſolemnia de ſcripto grauiter enuncient, atque euulgent.

DECRETVM. IIII.

ET conſtitutionibus Synodalibus, quæ Illuſtriſsimus Cardinalis Guido Ferrerius, Epiſcopus Vercellenſis iampridem edidit, et noſtris etiam decretis, quæ in viſitationis munere confecimus, illud diligenter curatum eſt in primis, ut ſanctiſſimi Sacramenti ſocietas, ubi nõ eſſet, pio ſtudio inſtitueretur, atque erigeretur. Verum quoniam parochos, eccleſiarumq. rectores, quibus id curæ dedimus, non parum negligentes fuiſſe animaduertimus; ut, quæ ſalutariter ad gregis, nobis commiſſi, pietatem excitandam inſtituta, atque adeo iuſsa ſunt, diligentiorem executionem habeant; pœnis propoſitis, quas negligentibus, contumacibuſue graues arbitratu noſtro irrogabimus, id omnino præcipimus, ac mandamus, ut illi ipſi, quibus iam iuſsum eſt, duobus poſt huius Synodi promulgationem menſibus, eam piam ſocietatem in ſua quique eccleſia, recte inſtitutã, erectamq. habeant. Proinde fideles, ſibi commiſſos, crebro grauiterq. hortentur ad rei, quam eorum cauſa tantopere in Domino expetimus, inſtitutionem. Ad quam ſane perficiendã,

quo religiosius, uehementiusq. fidelium animos incendant; amplissimos thesauros spiritalium donorum, et indulgentiarum, quas sanctissimus Pontifex, Gregorius xiij. prouinciæ Mediolanensis societatibus benigne largitus est, quàm sæpissime populo enuncient, atque promulgent.

Quicumque uero societati sanctissimi Sacramēti se adscribi uoluerint; eorum nomina, et cognomina parochi, ecclesiarumue rectores, in tabellam certam, librūue certum, quem ad eum usum conficiant, recte, atque ordine referant. Vt autem societatis huius homines charitatis erga proximum officia, ad quæ potissimum spectare debent, præstare, cū occasio tulerit, pie, recteq. possint: ex ijs duo, pluresue spectatæ uitæ moribus in singulos annos deligantur: qui parochialis uiciniæ ægrotos, et alios, paupertate, necessarioq. uictu laborantes, sæpe inuisant: eorumq. inopiæ, atque egestati eleemosynis, quas socij collegerint, subueniant.

Parochus porrò, eiusdemq. societatis ministri, eo nomine capsulam publice proponendam curabunt. Quæ capsula clauibus duabus claudatur, quarum unam ipse, alteram illi habeant. Et quò uberior eleemosyna paretur; quam sæpissime ad eam liberaliter, pieq. conferendam parochiæ suæ homines ipse cohortetur.

Socij præterea singulis mensibus semel, atque adeo sæpius conueniant, simulq. diligenter uideant, an pauperum inopiæ, atque incommodis per eos recte succurratur,

tur, quos illorum curæ præfecerint.

DECRETVM. V.

SVffragia libera in primis eſſe debent: quorum libertati ut et consulatur, et diſſidijs, atque contẽtionibus, quæ aliquando existunt, occurratur: ita ut infra, statuimus, ac decernimus. Quodcumque igitur Capitulum tàm basilicæ nostræ cathedralis, quàm aliarum ecclesiarum collegiatarum urbis, et diœcesis Vercellensis, ius habet, uel ministros, officialisue creandi, uel beneficia ecclesiastica conferendi; eam et in his, et in alijs grauibus negocijs, deliberationibusq. rationem ineat, ut, qui de Capitulo sunt, non aliter, nisi occulte, et remotis item ijs, de quibus agitur, suffragia ordine ferant.

DECRETVM VI.

TVrrium campanilium ianuæ ne umquam, nisi cum pulsandum campanis est, pateant: sed sera, peſſuloue, et claui claudantur: quæ uel a parocho, uel a clerico, custodeue ecclesiæ aſseruetur. Vbi uerò campanarum usus clero, populoq. communis est; alteram clauem illius loci consules, aut alij, quibus id curæ illi dederint, habeant licet.

DECRETVM VII.

OMnis parochus, rector, præfectusue ecclesiæ, in ianua illius primaria, a parte superiori, loco conspicuo,

atque illustri, imaginem Sancti, Sanctaeue, cuius nomine ecclesia nuncupatur, qua maxima fieri potest, pietate, et diligentia exprimendam, omnino, et quàmprimum curet.

DECRETVM VIII.

NE sacro aduentus, et quatragesimae tempore, festisq. diebus cuiquam moniales inuisere, et cum earum aliqua, statis illis collocutionis locis, colloqui liceat: nisi cui ob grauem, et necessariam causam, nobisq. probatam, facultatem, litteris exaratam, dederimus.

DECRETVM IX.

DOmum Dei decet sanctitudo, inquit propheta: ideo et saepe, et diligenter cauere debemus, ne quid in ea fiat, agaturue, quod indecorum sit, quodq. ab illius loci sanctitate alienum.

Primo igitur parochi, ceteriq. omnes, ad quos pro sui officij munere spectat, constitutionem illã nostram, quã de ecclesiarum cultu superioribus annis in dioecesana Synodo edidimus, fidelibus usque adeo frequenter enuncient, ac tamdiu promulgent, quoad plane uiderint, ad omnem rectae executionis usum perductam esse. Proinde perpetuo etiam cohortationum, admonitionumq. studio, et perenni quadam animorum contentione in id incumbant, ut ab omnibus illa inuiolate studioseq. seruetur. Quos autem contumaces, aut negligentes

ani-

animaduerterint; ita cum illis agant, ut, pro culpæ, contumaciæue eorum grauitate, a diuinis etiam officijs, atque a ſacrificio Miſſæ ceſſent. Per eccleſiam prætere a ne ullo umquam tempore tranſitum, iterue a quo quam fieri patiantur.

Nec uerò permittant, niſi pœnitentiæ, uotiue cauſa, mulieres nudis pedibus eccleſiam ingredi. ſi quæ autẽ præ ſumma inopia calceos non habent, quibus pedes induant; ſaltem ueſte ad talos demiſſa, eò accedant.

DECRETVM X.

GRaui concilij prouincialis Mediolanenſis primi admonitione nos excitati, et ſanctiſſimi pontificis Pij Quinti conſtitutione, quam magno cum ſpiritali animarum detrimento a quibuſdam negligi animaduertimus, adducti, prohibemus, medicos quoſcumque, qui ſemel, atque iterum ad ægrotum curandum acceſſerint, ad eumdem tertiò accedere: niſi ex confeſſarij ſacerdotis probati teſtimonio ſcripto ſibi conſtet, illum peccata confeſſum eſſe; aut de eiuſdem confeſſarij conſilio, et conſenſu, id ob iuſtam cauſam facere diſtuliſſe. Hanc porrò teſtificationem, apud ſe diligenter medici aſſeruent; ut, ſi quando opus erit, illam Epiſcopo, aut viſitatoribus Epiſcopalibus recte exhibeant. Si quis autem medicus ſecus fecerit; is, præter pœnas, et cenſuras, in illa pontificia ſanctione conſtitutas, eam etiam mulctam ſubeat, ut, omni appellatione poſpoſita, ac reiecta,

libras

libras uiginti quinque monetæ ſabaudienſis ſoluat.

DECRETVM XI.

ET ſi iudæorum familiaritate, aſſiduoq. commercio, chriſtianis ſacrorum canonum iure interdictum eſt; multaq. eo de genere, in concilio prouinciali Mediolanenſi primo ſancita ſunt; tamen, quia complures urbis, et diœceſis noſtræ homines, ſalutis ſuæ pene obliti, grauiſſimis canonum legibus, et prouincialibus decretis neglectis, cum perfidiſſimo illo hominum genere, a chriſtianæq. pietatis institutis alieniſſimo, eam uitæ conſuetudinem, quam cum ceteris chriſtianis, habent: nos animarum ſalutis Zelo accenſi, atque adeo illius rei indignitate permoti, hæc, quæ et canonico iure, et pontificijs ſanctionibus, et decretis prouincialibus, patrumq. inſtitutis communita ſunt, ſancimns, edicimus, ac vetamus.

Ne quis, neque uir, neque fœmina, cuiuſcumque ſtatus, ordinis, ætatis, generis, etiam illuſtris, ad iudæorum conuiuia accedat: neue unà cum ijs cibum ullo modo capiat: neque ſimul in ijſdem ædibus habitet.

Ne eorum nuptijs, choreis, ſaltationibus, tripudijs, ludis, actionibuſq. ullis iudaicis interſit.

Ne ad illorum ædes, domiciliaue, excepta negotiationis cauſa, uentitet.

Ne quicquam denique cum iſtis agat, gerat, contrahatue, quod uel ſacris canonibus, uel pontificijs conſtitutionibus,

nibus, uel concilij prouincialis decretis prohibitum, interdictumue sit.

Qui uerò die sabbato istis operam nauant, ne apud eos prandeant, ne cænent, ne pernoctent: sed operæ laborisue mercede accepta, domum suam quamprimum redeant.

Si quis contra, quàm præscriptum est, fecerit, pro culpæ modo, graui pœna plictetur.

DECRETVM XII.

CErei, funaliaue, quæ intorticia uocantur, quæ, dum in Missæ sacro corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi eleuatur, accendi solent, ne ante restinguantur, quàm à Sacerdote communio perficiatur.

DECRETVM XIII.

QVoniam ad litanias, & preces, quas, impendentibus tot rei christianæ periculis, pro apostolicæ suæ uigilantiæ studio summus pontifex, Gregorius xiij. ad iram Dei placandam, misericordiamq. eius implorandam, quotidie ante, uel post Missarũ solemnia diei instituit, et ad supplicationes item, ac processiones, quas à nobis, pro temporum ratione, aliquando indici moris est, canonicos non ita frequentes, ut expetimus, neque adeo sæpius, nec uerò diligenter admodum cõuenire cernimus non sine animi nostri dolore: ideò, ut, quos ad ea precum officia pietas ipsa per se mouere debet, ex-

citet etiam, atque alliciat præmij spes aliqua iniecta; uolumus, ac decernimus, ex quotidianis distributionibus certam pecuniæ, atque census summam quotannis in basilica nostra cathedrali, ceterisq. urbis, et diœcesis collegiatis ecclesiis deduci, ac detrahi: quam summã ab uniuscuiusque Capituli thesaurario custoditam, distribui, ac tradi ijs solum statuimus, qui illis litanijs, precibus, et processionibus præsentes adfuerint, neque ullis præterea alijs.

DECRETVM XIIII.

QVantum in augenda pietate laboris, tantum in superstitiosis erroribus eripiendis curæ, atque sollicitudinis Episcopus ponere debet. Quare nos pro officij nostri munere, cautiones, et regulas, infra ordine notatas, præscripsimus, quas à parochis animarumue curatoribus, et confessarijs Sacerdotibus seruari, atque adhiberi mandamus ad perniciosum, nefariumq. quarundam superstitionum usum ex urbe, diœcesiq. nostra conuellendum.

Quo in genere uideant ij potissimum, et ceteri nedũ huiusce perniciei radices extirpare diligentius student, simul etiam è rudium animis sinceræ pietatis semina radicitus euellant.

Orationibus igitur, philacterijs, seu, ut uocant, breuibus, scriptis, nominibus, signis, ad alicuius mali, uel morbi curationem, aut præseruationem, nisi per nos, uel per

eos

eos, quos huic rei præfecimus, cognitis, et probatis neminem uti aliquo modo pactoue permittant. Idq. longe grauius uetitum sit in ijs scriptis, quæ in membrana, ut uulgo dicunt, uirgine, aut a puella incorrupta, aut alia quauis loci, temporis, rei, uel personæ uana obseruatione adhibita, litteris exarata sunt.

Imagines itẽ, annulos, signa, et quæuis alia id generis, characteribus, et nominibus alienis, litteris incognitis, notis denique, superstitionis speciẽ præseferentibus, impressa, insignitauè omnino prohibemus. Piũ uerò illũ, et religiosum sacrosanctæ Crucis, et sanctarũ imaginũ usum, castissimumq. cultum, et uenerationem, omni abiecta inani obseruatione, summopere commendamus, et ab omnibus, qua par est pietate, retineri cupimus, et mandamus.

Quod autem interdum à nonnullis temerè fieri consueuit, qui sabbato sancto, ubi primum campanarum sonum audiunt, se, uel infantes, fluuiali aqua, aliauè perfundunt, aut pridie festi diei sancti Ioannis Baptistæ media nocte rore se aliosuè conspergunt, aut sancti Petri Apostoli solemni celebritate, aliouè certo die extra medicinæ leges, sanguinem mittunt, uenamq. secant, falsa, et inani prorsus opinione, speq. adducti, uel mali eo anno uitandi, uel boni consequendi, id omne in posterum agi, fieri, committi, plane interdicimus. Idem sancimus de ijs, qui sacro die parasceues nummum sacrosanctæ Cruci, de more in ecclesijs detectæ,

à fidelibus primò oblatum oculis collineant, ſumunt, ſibiq. aſſeruant ad certam malorum cautionem, periculorumq. uitationem.

Vulnera, aliasq. plagas certis adhibitis ſignis, certisq. uerbis, ac nominibus, ac præfinito quodam certo orationum, precumuè ac benedictionum numero, linteolis curari nefas eſſe decernimus, ac propterea in perpetuum uetamus.

Qui faſcinationes, aut ueneficia curarint, aut ligaturas nodoſue ſoluerint, aut ſanguinem ſiſtere, aut cicatrices obducere, aut umbilicum aſtringere, aut alicuius membri torporem abigere, aliasuè ægritudines depellere procurarint medicamentis, et curationibus per medicos non probatis, quos ob eam cauſam delegerimus; eos omnes, et ſingulos, uti ſuperſtitioſos eſſe declaramus, ac decernimus; ac proinde iſti norint ſe pœnas daturos ex canonum legibus.

Eſt illud præterea diabolica fraude inuentum, quod ſuperſtitioſe, uel impie potius ab ijs agitur, qui præcipue nocte, diem feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ proxime præcedenti, filices, filicumue ſemina colligunt, aut alio certo die, certaue nocte flores, frutices, herbas cuiuſuis generis legunt, ſecant, ſuccidunt, euellunt, aut qui certo eo tempore, aut præfinito alio ſacro die triticum, millium, legumina, ceteraſuè fruges expurgant, aut cucurbitas, aliaue ſemina ſerunt, ea opinione in hanc fraudem inducti, ut alio die ea irrita, inaniaq. eſſe, et fru-

ſtra

ſtra præterea fieri, agiue putent. Quamobrem id omne, tamquam à christianæ pietatis cultu abhorrens, nos hoc decreto reijcimus, et damnamus: atque eã ob causam, qui tale quicquam in posterum admiserint, pro grauitate culpæ mulctabuntur, et canonum ſanctionibus, et præterea arbitratu noſtro.

Hoc item decreto illos etiam aſtrictos teneri uolumus, culpaq. grauiori illigatos declaramus, qui uel ad uerum in cruciatibus obſtinatè, pertinaciterq. negãdum, occultandumue, aut ad theſaurum inueniendum, resq. furtiuas recuperandas, ſeu fures occultos patefaciẽdos, aut ad arcana, abditeuè facta euulganda, aut ad odiũ incitandum, aut ad gratiam aucupandam, amoremue conciliandum, ſacræ ſcripturæ uerbis, certorumue nomi num pronunciationibus, uerbiſue alijs, certa formula conceptis, exaratiſue, uel ſchedis nota aliqua impreſſis abutuntur.

Parochi præterea ſi quod aliud ſuperſtitionis genus in ſuæ parochiæ hominibus animaduerterint, id aliquot ante anniuerſariam ſynodum diebus ad nos deferant, ut ei malo opportune paſtorali noſtra curaoccuri poſſit.

At uero quoniam pro hominum, et locorum uarietate, multiplicia, uariaq. etiam ſuperſtitionum genera deprehendi poſsunt; et certam earum ſingularum formam præfigere prope infinitum opus eſt; nos ut ſummatim ſtatuamus omnia, in quibus ſtata, temporum, dierum, horarum præfixi numeri, et loci obſeruatio, cum

anxia quadam corporis, et habitus compositione, quam præterire nefas sit, concurrit, tamquam superstitiosa, uana, et a sanctæ catholicæ ritu, usu, institutis, et traditionibus aliena, diligenti confeßariorum, et parochorumcura, officioq. extirpanda m andamus, cum per illa sese diabolica societas, quæ omni pietatis studio fugienda est, ac depellenda, sensim insinuet, et diuini cultus error, fraudulenter hisce rebus, specie boni uelatis, cum magna animarum pernitie inducatur.

DECRETVM XV.

NIhil tetrius est, nihil acerbius, nihilq. aspectu truculentius pestilentia, cuius tanta uis est, tam uaria, atque adeo multiplex, ut occulte in omnes partes longe, lateq. progrediens, breui momento temporis, quasi repentino quodam impetu turbidæ tempestatis, homines obruat. Proinde initio huius pestiferæ labis, funestæq. calamitatis magistratus ciuiles nihil non agunt, nihil nõ attingunt, ut patriæ, quæ sensim terribili illa contagione ad interitum ruit, quàm opportunissimè succurrant. Domum publicam, locumue constituunt, quo, peste affecti, transferantur: medicos certos conscribunt, qui illos curent: medicamenta, et cibum subministrant: famulos famulasq. conquirũt, qui operam, curationemq. illis nauent: uestes, lectisternia parant, quibus, a morbo cõfirmati, se induant: nihil denique sumptibus faciẽdis, alijsq. officijs præstãdis omittũt, ut omni externa cu

ra, omniq. externa administratione, atq; ope subueniāt laborantibus. Id porrò studiū, et summæ diligētiæ officium, cum laudabile est, nomineq. christiano dignum, tum plane necessarium, atque adeo eiusmodi, ut eorum, qui spiritales populorum parentes sunt, quiq. curam animarum sustinent, paternam sollicitudinem, uigilantemq. spiritalis ministerij operam uehementer etiam, atq; etiā excitare debeat ad eos, iuuādos qui, illis exitiosi morbi tēporibus, à suis, uel coniūctissimis propinquis, derelicti, omniq. pene ope destituti, opus ī primis habēt sacerdotali adiumento, atque omni spiritali auxilio. Est porrò opportuna illa omnis magistratuum diligentia: sed una cunctis alijs potior, multisq. partibus præstantior est spiritalis cura, quam parochi, animarūq. curatores, et Sacerdotes, tamquam optimi parentes, de filiorum salute solliciti, omni paterno officio conferunt et ad Sacramenta ministranda, et ad Dei iram precibus, sanctissimisq. sacrificijs placandam. Nam cum a iustissima Dei ira, ob flagitia peccataq. hominum, et iniquitates concitata, pestiferæ ærumnæ origo existat; omne illius depellendæ præsidium in eo positum est, ut et pœnitentia, uitæq. emendatione, et precibus, et litanijs, et sacrificijs, et frequenti Sacramentorum usu, et alijs christianæ religionis ministerijs, quæ potissimum sacerdotalis officij sunt, cælestis illius iræ placatio perpetuo exoretur. Quamobrem ut parochus, curatorue animarum omnis, quicumque in urbe, diœcesiq. Ver-

cellensi

cellensi est, tamquam parens, qui in filiorum salute inuigilare omni studio debet, in hoc imminentis pestilentiæ periculo, non modò muneris, curæq. suæ partes non deserat, sed ad eas præstandas se se, adiutrice Dei gratia, excitet, summaq. paterni animi constantia confirmet; nos aliqua, quæ parochialis curæ munus attingũt, suggerenda, atque adeo commonenda censuimus: cum præsertim in tanto periculo, quod pro peccatorum, quibus furor Dei accensus est, grauitate summopere pertimescendum est, iam iamq. pastoralis nostra sollicitudo, paternaq. charitas, qua populum Vercellensem, fidei nostræ concreditum, unice in Christo diligimus, id a nobis postulet, atque adeo flagitet, ut omnem præparationem, omneq. perennis uigilantiæ officium adhibeamus.

Parochus igitur, aliusue Sacerdos, animarum curator, cum primum eius parochialẽ uiciniam, parochialesue fines pestilentia, eiusue suspicio inuaserit, proposito sibi ob oculos tam graui gregis, sibi commissi, periculo, paternæ charitatis uiscera toto animo induat: idq; plane fixa deliberatione statuat, quæcumque pietatis officia a parente spirituali, filijs spiritualibus, pestifera ærumna affectis, præstari decet, ea omnia se illis ministrare, atque præstare uelle. Proinde illa, ut certa est animi deliberatione, et publice, et priuatim polliceatur, atque profiteatur se executurum. Constantia hac, et firmitate animi munitus, gregem, sibi in curam traditũ nullo modo deserat; ne ille, pastoris solatio destitutus,

uehementius perterrefactus, afflictione tabescat. Immo uero operam, studium, ac ministerium suum ita nauare studeat, ut ad omnia charitatis, ac misericordiæ officia ceteros inflammet non solum exemplo suo, sed pio quodam ardore sanctarum cohortationum; quibus perpetuo uti diligentißime debet.

Cum præterea populo, cuius curam gerit, uel pestilẽs hoc malum, uel aliam perniciosam ærumnam, repentinamue perturbationem, Deo permittente, impendere senserit: primò eum doceat, non aliunde eius causam, originemq. existere, quàm ex hominum flagitijs, peccatisq. grauißimis. Quare inuestiget accurate, quæ potißimum corruptelæ, quæq. peccata præcipua sunt, et quæ scelera, quibus Deum populus maxime offendat, atq; illius iram in se concitet; ut uerendum certe sit, ne in summam miseriam detrudatur. Quam occasionem nactus, illud omni paterni officij genere instet, atque urgeat, omniq. contentione conetur, ut quæcumque eiusmodi sunt, ob quæ Deus offendatur, illa tollantur, radicitusq. extirpentur. Hoc unum calamitatis, et miseriæ perfugium, hoc unum firmum præsidium ostendat, ut, suscepta uitæ emendatione, ereptis morum erroribus, et conuulso uitiorum seminario, unde sibi pestem, et exitium comparat, suppliciter, ac demiße ad Deum confugiat: qui in medio nubis, atque afflictionis, arcũ ostendit suæ propitiationis; et funesta ærumna oppressos, sua item misericordia subleuat. Proinde sæpe, ad

lacrymas, ad publicum peccatorum luctum, ad flagitiorum detestationem, ad publicam pœnitentiam populum urgeat: et illum, quasi somno obliuionis dormientem, excitet etiam ad perpetuam christiano more uiuendi constantiam.

Vt uero populus, quæ parochus monet, uere agat, et exequatur; atque omni publici mœroris, et mœstitiæ genere supplicationibusq. publicis, Dei misericordiam deprecetur, et imploret; ob eam causam ipse parochus certas statas processiones indicat; quas populus et ieiunio, et eleemosyna, et sacco, et cilicio, et omni mœsto, lugubriq. habitu, et pedibus nudis, et capite aperto, et omni publicæ pœnitentiæ modo, et uocibus ex intimo animo ad misericordiæ deprecationem emissis, et gemitu, et lacrymis profusis, et summo continentiq. precum studio, et omni denique non exteriori solum, sed interiori religiosæ pietatis officio sancte, pieq. celebrare studeat.

Sed ut populi uoces, intimi gemitus, precesq. dignæ sint, quæ a Deo patre misericordiarum, et Deo totius consolationis, exaudiantur; is in primis pœnitentiæ Sacramenti usu frequenti se illi, qui ob peccata iratus, gladium suum iam uibrauit, sancte conciliare debet, atq; ita munire; ut ne repentina corporis peste percussus, spiritali etiam animæ plaga, quasi duplici peste, dignus sit, qui percutiatur. Quare parochus, qui assiduus in bene agendo cohortator erit, id curet, atque efficiat,

efficiat, ut ad tam salutare sacramentum omnes frequenter accedant, atque ita quidem, ut, cum quis peccati mortalis labe se inquinatum esse, conscius ert; tam necessario sacramento illud expiare quàm primum studeat; nec uero ad extremum differat, cum non modò suspicari, sed certe omnino timere possit, ac debeat, pestilenti illo tempore, maxima cum difficultate sibi præsto fore subsidia tàm corporis, quàm animæ. Id sane parochus cum sæpissime cohortetur; tum maxime caueat, ne quis è grege suo sine pœnitentiæ sacramento ex hac uita migret.

Itidem ad frequentem sanctissimæ Eucharistiæ usum fideles omni studio accendat: et ad ea, quibus Dei iram placari, eiusq. misericordiam exorari compertũ est, pietatis opera, præsertim ad assiduam orationem, ad ieiunium, ad eleemosynam, grauiter, crebroq. hortetur. Si quos inopia, egestate, necessarioq. uictu laborare, premiq. perspexerit; id charitatis etiam illis præstet, ut cum magistratibus, rectoribusue rationem certam ineat, qua eorum unicuique, necessario illo tempore, subueniatur.

Omnia denique et pietatis christianæ, et paternæ charitatis officia, in adiumentum, populo, sibi commisso, conferat, ut illius uere pater, et pastor sit. Si enim ullo unquam tempore, uel afflictissimo, opera sollicitudoq. parochi opus est, certe maxime necessaria, et est, et uidetur pestilentiæ tempore, quo fideles, nulla

nec cognationis, nec amicitiæ, nec charitatis christianæ ratione habita, ita deseruntur, ut subsidia tum corporalia, tum sæpe spiritualia, non modo ministrentur, sed publicè palamq. detrahantur non sine offensione, et iniuria nominis christiani.

FINIS.

LAVS DEO.



DECRETA
EDITA, ET PROMVLGATA
IN SYNODO DIOECESANA VERCELLENSI V.

habita

An. a CHR. NAT. M D LXXVIII.

A REVERENDISSIMO D. D.
I. FRANCISCO BONHOMIO,
Dei, et Sedis Apostolicæ gratia
EPISCOPO
S. Ecclesiæ Vercellensis.

IN NOMINE
SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS,

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

NOs Ioannes Franciscus Bonhomius, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Vercellarũ, et Comes, ad Dei Omnipotentis, Beatæq. Mariæ semper virginis, ac Sancti Eusebii Episcopi, et martyris laudem, hæc pro Christianæ morum disciplinæ conformatione, qua clerum, populumq. fidei nostræ concreditum, prælucere, totis in Christo visceribus expetimus, in nostra Synodo Diœcesana quinta decernimus, statuimus, ac sancimus.

DECRETVM I.

SVperiori proximo anno cum propositum nobis erat, ad concilij Tridentini præscriptum, Synodum Diœcesanam de more habere; pestilentia grauis in urbis, diœcesisq. Mediolanensis, et aliorum locorum, quæ a diœcesi nostra non longè absunt, uiscera se se infudit: quo factum est, ut et charitate, qua fideles, curæ no-

strae cõmissos, unicè in Domino cõplectimur, adducti et decurionũ ciuitatis Vercellensis rogatu, Synodi actionem, impetrata a summo Pontifice facultate, eo anno intermiserimus. Cuius intermissionis decretum hoc extare uolumus, quo testata sit causa, quamobrem superioris anni nulla Synodus Vercellensis existat: quam anniuersariam, uolente Deo, dum uita superest, perpetuò ex decreto Tridentino celebrare instituimus.

DECRETVM II.

SIcut ex perpetua ecclesiæ catholicæ traditione, atque consuetudine, sacrosanctam Crucem in templis erigi, locoq. eminentiori collocari, religiosi instituti est: ita illam humi, sordidoq. loco pingi, uel effingi, uel alia ratione exprimi, œcumenicæ Synodi Constantinopolitanæ canone, augustaliq. Theodosij lege uetitum, idem Tiberij etiam Cæsaris, qui Iustino successit, exemplo ualde comprobatum constat. Cum enim is loco quodã inambularet, et substratam in pauimento, crucisq. insigni ornatam, tabulam marmoream cerneret, nefarium arbitratus, pedibus crucem conteri, in qua Christus Dominus profuso sanguine, humano generi salutem peperit, illam è strato solo amoueri iussit. Quamobrem grauissime quidem Synodus prouincialis Mediolanensis, cui præsentes adfuimus, et subscripsimus, nuper id ipsum sanciuit. Nos igitur, et canonis, legisq. illius auctoritate adducti, et decreti prouincialis in primis exe-

exequendi officio deuincti, et Christi Domini gloriæ, cui sancte seruire debemus, studio incensi, ut, quod pie religioseq. constitutum est, ad executionis usum in urbe, diœcesiq. nostra Vercellensi introducamus; illud pictoribus, sculptoribus, ceterisq. omnibus, ac singulis quibuscumque edicimus, atque adeo interdicimus, ut ne quis eorum, neque humi, neque in pauimento, ac ne in sepulcris quidem, humi extructis, neue humili loco, qui incedentium pedibus teri, et conculcari possit, neque usquam loco sordido, sanctissimæ Crucis imaginem pingat, sculpat, effingat, alioue modo exprimat; aut pingi, sculpi, effingi, exprimiue iubeat. Si quæ uero contra, quam sancitum est, picta, sculpta expressaue est, deleatur omnino. Si quis uerò in posterum contra, ullo modo quicquam in hoc genere fecerit, pro culpæ ratione pœna mulctabitur arbitratu nostro.

DECRETVM III.

OMni religiosæ pietatis cultu, et grata, perpetuaq. memoria beneficium prosequi debemus, quod a Deo patre misericordiarum, et Deo totius consolationis proxime accepimus. Conscij enim sumus, cum iam teterrimæ pestilentiæ lues, in urbium, et oppidorum propinquorum, uiscera sese nuper infuderat, è contagione, atque è pestifera labe, tetræq. mortis faucibus nos ereptos esse, nullis quidem nostris meritis, sed singulari certe Dei dono, ac munere, quod sanctissimo propitioq.

patro-

patrocinio nobis impetrauit Beatissima Virgo Maria, cuius inuocationem ciuitas Vercellensis ad calamitates depellendas pia ueneratione semper adhibuit. Quare, ut huius singularis beneficij, quod illa intercedente, nos diuinitus accepisse profitemur, recordatione ullo unquam tempore obscuretur, et euanescat; pro nostri pastoralis officij sancta sollicitudine, religiosè, pieq. factum censuimus, aliquam diuinæ huius gratiæ perpetuò colendæ rationem inire. Quam ob causam illud statuimus, decernimus, et sancimus, ut in omni collegiata, et parochiali ecclesia, singulis hebdomadis, die sabbato, sub uesperum antiphona, et oratio de Beatissima Virgine, pro temporum ratione, pie concinatur. Cui orationis concelebrandæ officio, in unaquaque ecclesia collegiata canonicorum illius partem tertiam, ad minimum, adesse præsentem iubemus: in parochiali autem, ut populus frequentior intersit, singuli parochi omni suo studio, nostraq. auctoritate curabũt. Hocq. decreto omnes, et singulos ecclesiæ nostræ Vercellensis filios, nostræ fidei concreditos, per uiscera Iesu Christi hortamur, ac monemus, ut huius orationis institutum perpetuò exequantur ad diuini illius beneficij memoriam sempiternam.

DECRETVM IIII.

S*Anctissimi martyris, Euselij Episcopi, diem festum religiosa solemnitate, ac pia ueneratione, frequentissi-*

moq.

moq. concursu olim concelebrauit ciuitas, et diœcesis Vercellensis, perpetuo illius defensa patrocinio. Sicut enim is, dum in terris fuit, filios ecclesiæ Vercellensis unice in Christo dilexit, atque omni paternæ curæ studio salutariter adiuuit, ac defendit: ita posteaquam, et pro illorum salute summis laboribus usus, et pro ecclesiæ catholicæ fide præclaris contra Arianorum impietatem dimicationibus egregie perfunctus, et pro Christi Dei, Redemptoris nostri gloria, martyrio nobili necatus, æternas in cœlis adeptus est repromissiones, eximia erga illos charitate flagrans, eisdem omni tempore fauit, et optauit, quæ optima, quæq. salutaria sunt; ac tanto studiosius eorum causam apud Deum omnipotentem egit, quanto maiorem sinceræ charitatis, atque uirtutis omnis, quæ sanctis martyribus congruit, perfectionem continenter exercuit. Vt igitur martyris, dulcis patroni, et aduocati fidelis, beatissimi Eusebij dies festus, debita ueneratione colatur; et ad pristinum cultum, iuuante Deo restituatur; nos populi Vercellensis, cui totis in Christo uisceribus ministramus, salutis cura commoti, hoc perpetuo decreto statuimus, iubemus, ac sancimus, eum diem, tanti patroni martyrio dicatum, qui est calendis Augusti, in ciuitate, et diœcesi Vercellensi, ab omni clero et populo ita coli, obseruari, atque concelebrari, ut reliquos dies festos coli, seruariq. sanctæ matris ecclesiæ auctoritate, ac præcepto iussum est. Quamobrem cum omnes, et singulos

illo festo die, diuinæ pietatis officijs, et sanctissimi martyris memoriæ consecrato, ab omni opere seruili, omniq. arte mechanica, emptione, uenditione, nundinatione, contractu, commercio prophano, choreis, saltationibus, ludicris actionibus, ceterisq. rebus, illius diei sanctitati alienis, abstinere præcipimus, ac mandamus, pœnis in edicto nostro de festorum dierum cultu propositis: tum illud etiam edicimus, ac monemus, ut ijdem, memoria excitati beneficiorum, quæ, tanto patrono intercedente, a Deo opt. max. acceperunt, in illius diei celebritate frequentissimi ad Missarum solemnia, diuinaq. precum officia, et sacras conciones conueniant; in ijs pietatis operibus demum sese exerceant, ut et in sancti martyris, patris, ac patroni nostri, Eusebij uictoria, Dei bonitatem, potentiamq. laudent; et sancto quidem ipsi debitos tribuant honores; et se denique ad eius imitationem excitent: sicq. meritis illius consociati, adiuuentur etiam perpetuò intercessionibus eiusdem.

Quo sanctior præterea ad sanctissimi patroni diem festum colendum præparatio a clero, populoq. ciuitatis, et diœcesis Vercellensis pro debito pietatis studio adhibeatur; nos, hoc etiam decreto, pridie illius festi diei ieiunium, sicut in sancti patroni ueneratione seruari debet, religiose seruandum declaramus, ac decernimus. Quod ex præcepto ieiunium in calendarium perpetuũ, eo stato die, adscribi mandamus.

Parochis uerò, reliquisue animarum curatoribus edicimus,

mus, ut diligentiam, quam ipsi maximam possunt, adhibeant, quo religiosius a fidelibus is festus dies concelebretur, et colatur. Proinde dominico die, proxime precedenti, illis denuncient, et ieiunij diem, et solemnem festi diei celebritatem: tum nostra etiam auctoritate hoc eos cohortentur, ut ad basilicam tanti martyris, frequentes eo die, Vercellas, deuotionis causa, conueniant: sicut olim non diœcesis Vercellensis solum, sed omnis finitimæ regionis, fideles ad sanctissimi huius martyris memoriam conuenisse, traditum est.

DECRETVM. V.

DOni, gratiæq. omnis spiritualis participes esse fideles, curæ nostræ commissos, uehementer in Domino cupimus, pro studio, quo maximo tenemur, procurandæ illorum salutis, excitandæq. pietatis. Cum igitur paterna sua charitate ductus, summus Pontifex, Gregorius decimus tertius doctrinæ christianæ scholarum hominibus, qui in prouinciæ Mediolanensis diœcesibus sunt, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, ac remissionem tribuerit, et concesserit, quando ij scilicet certo illo die, quem unum ob eam causam Episcopus præscripserit, communionem sacram, uere penitentes, et confessi, sumpserint: nos, ut tam magnæ, tantæq. indulgentiæ participes, adiutrice diuina gratia, sint fideles, doctrinæ christianæ scholis in urbe, diœcesiq. Vercellensi adscripti, diem unum certum eius rei causa sta-

tuendum censuimus. Et quoniam Iesu Christi Redemptoris, qui in lucem gentium doctor iustitiæ a benignissimo patre Deo datus est, aduentus tempus, plenum mysterijs est, ac religiose propterea ab omnibus fidelibus colendum, præsertimq. ab ijs, qui in cœlestis illius magistri, doctrinæ scholis operam ponunt: idcirco nos diem Dominicum primum sacri eius aduentus anniuersariam statuimus: quo certo die, indulgentiæ consequendæ causa, earum scholarum homines, uere pœnitentes, et confessi, sacram communionem sumant. Vt uerò hoc idem, reliquis etiam deinceps diebus Dominicis aduentus, pie præstent, quemadmodum sanctissimi pontificis Siluerij canone decretum est, eos uehementer in Domino monemus; quo religiosius, sacro illo tempore, ad omnes pietatis christianæ partes se se excitent.

Parochorum uero cura sit; die dominico, proxime præcedenti, cum eum indulgentiæ diem de more denunciare; tum pontificias litteras, eo nomine editas, de scripto legere, ac diuulgare.

DECRETVM. VI.

GRaue blasphemiæ scelus est; ac detestabiles plane homines, qui tale facinus committunt. Pro gloria igitur Dei, quæ ore eorum impuro uiolatur, ratio omnis ineunda est, ut tam scelesto, nefarioq. crimini occurratur: ac simul etiam ijs consulatur, qui sanctissimum Dei nomen cum assumant in uanum, temereq. iurent,

nefarie peccant item. Quare, cum cetera, quæ ad blasphemiæ genus tollendum pertinentia, uel canonum iure, uel pontificijs, uel concilijs prouincialibus Mediolanensibus constituta sunt, seruari iubemus: tum etiam, quo studiosius non blasphemantium solum, sed temere iurantium, uitio, criminiq. obuiam fiat, decretum item prouinciale, de nominis Dei societate instituenda salutariter editum, in urbe diœcesiq. nostra Vercellensi, iam demum in executionis usum introduci uolumus. Itaque parochi, in sua quisque parochia, ab ijs, ad quos pertinet, eiusmodi societatem hominum institui quàm primum curent qui diuini nominis Zelo incensi, in blasphemiæ, temerarijq. iurisiurandi uitio eripiendo, sedulo uersentur; idq. ad præscriptum litterarum pontificiarum: quas eo nomine a Pio Quarto, et Pio item Quinto, pontificibus maximis editas, iam pridem diuulgauimus.

DECRETVM VII.

G*Raue est, nec propterea ferendum, dies festos aliqua actione uiolari, quæ ad quæstum, atque ad opus seruile spectans, cum illorum cultu et sanctificatione minus conuenit. Quo in genere illud est, quod animaduertimus passim à notarijs agi, fieriue: qui diebus festis perinde, ac in ferijs, operæ suæ mercede ducti, cōtractus conficiunt; aliarumq. actionum, et negotiacionum tabulas, instrumentaue rogati excipiunt. Id sane ut in*

posterum

posterum nullo modo committatur, huius nostri decreti, quod inuiolate seruari uolumus, auctoritate prohibemus omnino. Ac proinde notarios, qui contra fecerint, uiginti quinque aureis mulctari decernimus: quam mulctam, pœnamue, partim alicuius loci pij usui, arbitratu nostro, adiudicamus, atque attribuimus; partim fisco seculari. Instrumenta uero, tabulasue testamentorum, codicillorum, ultimarum uoluntatum, compromißorum, pacis, concordiæ, fœderis, conciliationis, transactionis, matrimonij, sponsalium, et actionum, scriptionumue, quæ ad eorum, qui in carcere sunt, fauorem, piorumq. locorum causam pertinent, ab hoc decreto eximimus. Neque rursus tabulas, instrumenta, scriptionesue, quæ de uoluntariæ iurisdictionis actis, ceterisq. omnibus, quæ serenißimi Ducis, et ditionis statusue eius factum attingunt, comprehendi eodem decernimus: nec præterea notariorum scripta, instrumentaue: in quibus conficiendis si mora interponeretur, manifestum periculum inde existeret; aut certe euidens damnum, si tempus abiret.

DECRETVM VIII

EX antiquo ecclesiæ instituto, beatissimæ uirgini, Dei matri, Mariæ in honorem dicata est stata sabbati feria: quam quicumque fideles, sanctissimæ illius uirginis, cui Deus tanta totq; dona gloriæ ad miseris opitulandum contulit, pia grataq. memoria excitati, ieiu-

nio

nio alijſq. chriſtianæ pietatis officijs religioſe colunt, ſalutarem ſibi fructum pariunt. Qui uerò, ut ad nos delatum eſt, eandem, perinde ut diem feſtum, alicubi uſque adeo ſuperſtitioſe obſeruant, ut iudaicum morem non ſine chriſtianæ legis uiolatione conſectari uideantur, grauiſſime peccant, quodq. etiam grauiſſimum eſt, ac minime ferendum, rem pernicioſam, ac plane iudaicam, ad uſum inducunt. Quare nos pro paterna, epiſcopaliq. cura, quam gerimus, ſicut illos uehementer in Domino commendamus, qui Sabbati feriam ad honorem beatiſſimæ Mariæ uirginis, ritu chriſtiano, legitimeq. peragunt; illorumq. item uſum maximopere probamus, qui a Nona, uel a ueſperis Sabbatum ad Dominici diei honorem, cultumq. ut antiqui inſtituti eſt, pie obſeruant: hoſq; et illos hortamur, ut in ſancto inſtituto rite perſeuerent; ac rurſus alios, qui nondum illud ſuſceperunt, commonemus in Domino, ut idem pie amplectantur: ita qui ad illius feriæ cultum pene iudaicam ſuperſtitionem adhibent, tamquam feſtum diem eandem obſeruantes; iſti ne quod attentatum alicubi animaduertimus, in poſterum committant; ne ue in uſum inducant; hoc edicto uetamus atque interdicimus. Quodſi rudiores, uel uiri, uel fœminæ, uotum de Sabbato, ita ſuperſtitioſè colendo, nuncuparint; ut id in aliud pietatis officium, opuſue commutetur, curabunt, et parochi, et confeſſarij ſacerdotes: quibus nominatim id curæ dederimus.

DE-

DECRETVM IX.

QVo tempore et diuinis officijs, et sacro cæremoniarum ritu, et omni stata religiosa prece, fidelium animos mentesq. ecclesia mater excitare studet ad sanctissima recolenda mysteria: tunc maxime, in septuagesima scilicet, sexagesima, et quinquagesima omne pene studium illi conferunt ad ingluuiem, ad tripudia, ad personatas actiones, ad inania spectacula, et ad alia denique id generis, quæ a sacro illo tempore aliena, atque adeo christiano nomine indigna, bacchanalia potius sunt, quæq. speciem referunt omnis paganæ antiquitatis. Verum enimuero, ut est morum corruptela, res eo processit, ut primo etiam dominico die quatragesimæ, quod sane tempus ex doctrina spiritus sancti ieiunio, pœnitentiæ, religiosis christianæ pietatis officijs consecratum est, in ipsis illis actionibus, et operibus, satanæ fraude excogitatis, fideles uersentur magna cum Dei offensione. Nos igitur pro cura, quam populo nobis commisso, sancte debemus, primò illum etiam atque etiam uehementer totis in Christo uisceribus cohortamur, ac monemus, ut abiectis morum erroribus superiora illa tempora septuagesimæ, sexagesimæ, quo decet, pietatis studio colat, atque obseruet: repudiatisq. spectaculis, ludis scenicis, et ceteris actionibus, ab illorum temporum instituto abhorrentibus, ad orationem, ad litaniarum processiones, ad aliasq. christianarum uirtutum exercitationes, quas tunc studiosissime amplecti debet, sese conferat.

Sed

Sed cum quatragesimales dies non modo uiolari, sed sanctius coli oporteat; nos quod paternis monitis non dum assequi potuimus, ad id descendimus, ut pœnis radicitus conuellamus, quod quatragesimalis illius primi dominici diei sanctitati, religiosoq. cultui repugnās est omnino. Itaque ignes illos uespertinos, fictas nuptias, nocturnas hominum, atque puerorum etiam concursationes, tumultus, ceterasq. id generis corruptelas, deprauato usu retentas, planeq. à sacro quatragesimali eo dominico die alienas, fieri, agiue prohibemus, graui pœna, arbitrio nostro ijs proposita, qui istius criminis culpam quouis modo contraxerint. Parochus autem, animarumue curator, in cuius parochiæ finibus tale crimen unquam committetur, si uel permiserit, uel statim ad nos, uicariumue nostrum non detulerit, mulctā luet aureorum nummùm decem. Quo autem studiosius, decretum hoc ad executionis usum perducatur; illud, vulgari sermone explicatum, quotannis die dominico, qui proximè septuagesimam præcedit, ab unoquoque parocho intra Missarum solemnia de scripto pronunciari, atque euulgari mandamus.

DECRETVM X.

QVi paschæ tempore a parochia sua abfuerit; ubi primum redierit, certum testimonium, litteris exaratum, proprio parocho octo dierum spatio afferat, atque exhibeat: eoq. ostendat, se eo anno sacram communio-

nem sumpsisse. Quod nisi præstiterit; ad id se paret, ut et confiteatur, et sacram communionem sumat. Quorum alterum qui non fecerit, ecclesiæ ingressu interdicatur, ut est sacrorũ canonũ iure præscriptũ. Atque in eum præterea agatur, ut edicto nostro contra illos agi solet, qui paschæ tempore non communicarint.

DECRETVM. XI.

SAnctissimæ Eucharistiæ sacramento nihil habet ecclesia præstantius, nihil salubrius, nihil admirabilius: continetur enim in eo, præcipuum, maximumq. Dei donum, et ipse omnis gratiæ fons, atque auctor Christus Dominus. Vt igitur, quo maximo potest, ac debet, pietatis, religionisq. studio, ac fidelium frequentia, et luminibus, ut oportet, accensis, cum ad ægros deferri contigerit, deferatur; hoc parochis, animarumue curatoribus mandamus, ut, ubi non dum institutæ sunt, societates corporis Domini instituant, atque erigant. Cuius rei conficiendæ potestatem illis, prout opus est, damus, concedimus, et impartimur. Quò autem ardentiori pietate fideles ad has societates excitentur, eos parochi sæpissime cohortentur, propositis illis sanctissimæ, maximæq. indulgentiæ muneribus, quæ Gregorius decimustertius pont. max. parochialibus ecclesijs, locisue prouinciæ Mediolanensis istis societatibus dedit, ac tribuit. Nec uero in cohortationibus suis illud parochi monere prætermittant, ut, quo uenerabile, præstantissimumq.

ſtantiſſimumq. ſacramentum, frequentiores comitentur; qui etiam ſocietatibus adſcripti non ſunt, cum in uia occurrunt tam laici, quàm clerici, quo tempore ad ægros fertur, omni pietate illud proſequantur, et comitentur. Erit præterea cura parochorum, ut diligenter ſeruentur, quæ de illis ſocietatibus recte, pieq. gerendis in lucem auctoritate noſtra edentur.

DECRETVM XII.

DIe cœnæ Domini cum hoſtia conſecrata aſſeruatur, ut in paraſceue, quo die, antiquo ſanctæ eccleſiæ ritu, confici non debet, a ſacerdote celebrante ſumatur; ne in tabernaculo oſtenſorio, ſed in calice reponatur: ut et Domini ſepulcri, quod ſignificatur, typus apertius oſtendatur; et poſtero die ad altare commodius afferri; et a ſacerdote ſumi ita queat, ut de uno in aliud uas transferri, neceſſe non ſit.

DECRETVM XIII.

QVi clericali ordini adſcribi uolunt, primo in pſalmiſtæ munere uerſentur; tum ad clericalem tonſuram ſumendam accedant. Illud uero pſalmiſtæ munus quamuis ab ſacerdote conferri poſsit: æquius tamen eſt, ut eos parochi ad Epiſcopum adire iubeant, a quo clericalem etiam tonſuram, ſimul cum eo munere ſumant.

DECRETVM XIIII.

PAruuli infantes, ubi primum uiribus suis, nisi, per se ingredi incipiunt; ad suum quique parochum in ecclesiam à parentibus perducantur: ubi ille, ex sacerdotalis, ritualisue libri præscripto, benedictionem stata religiosa prece orationeq. impartiatur. nam ubi uitæ initium Deo consecratur: reliquæ omnis uitæ progressiones salutares, adiutrice diuina gratia, esse solent.

DECRETVM XV.

INfanti paruulo capilli antequam incidantur; is, ut pia, laudandaq. consuetudo est, diœcesis huius usu iam pridem instituta, atque comprobata, in ecclesiam ad parochum adducatur; a quo capillorum benedictionem stato precationis ritu capiat.

DECRETVM XVI.

FOeminis ad sacristiam, qui locus sacerdotum, et clericorum est, aditus, accessusue ne pateat. Quare plane uetamus, ne ecclesiæ ministri, quicumque sint, eò illas ingredi patiantur: neue ullo pacto introducant, intromittantue, ac ne in baptismo quidem infantum: id quod indecore nimis hactenus quibusdam in locis factitatum animaduertimus.

DECRETVM XVII.

NE, quod maxime opus est ad officia diuina, rite concelebranda desit; uolumen, quod antiphonarium uocant, in omni ecclesia parochiali comparare, atque adeo pe esse statuimus, ad usum præsertim Missæ sacri, uesperarumq. officij recte canendi.

DECRETVM XVIII.

MAgna uis diuina inest in sanctis precibus, quæ ad rerum benedictionem ex ecclesiæ instituto, ac ritu adhibentur. nam cum ad cetera multa, tum ad malos spiritus depellendos, qui saluti nostræ insidias perpetuò commoliuntur, cælestem afferunt opem, atque auxiliũ. Quare ædium benedictionem, non solum quæ paschæ tempore quotannis aquæ sanctæ aspersione de more fit, sed quæ ex antiquo ecclesiæ ritu ad omnium ædificiorum habitationem religiose instituta est, in usum reuocari decernimus. Et quoniam cura hæc parochorum esse debet; ædibus omnibus, atque ædificijs, quæ intra parochiæ fines sunt, ab illis singulis pro parochialis officij munere benedictionem adhiberi mandamus: quæ statis religiosis precibus, certisq. regulis per nos præscripta, unà cum hac synodo in lucem emittitur.

DECRETVM XIX.

VIsitationis episcopalis sumptum suppeditent, atque adeo præstent omnes: qui intra parochialis ecclesiæ,

cuius

cuius uisitatio fit, limites beneficia ecclesiastica obtinẽt. Tantum uero sumptus impensæue quisque eroget, atque tribuat, quantum sane pro rata conueniens est cum ratione census, redditusue, quem ex beneficio capit.

DECRETVM XX.

MVltorum officiorum sanctissima ratio, parochis intercedit cum ijs, quorum curam gerunt. Atque sicut quidem pro muneris sui ratione, tamquam parentes, omni sollicitudinis studio illis, qui sibi in curam traditi sunt, salutariter prospicere, consulereq. debent: ita quorum cura geritur, eos in illis sane rebus, quæcumque ad Dei cultum, salutemq. animarum pertinent, eorundem parochorum consilio monitis, auctoritate, officijsq. uti conuenit. Quamobrem quo studiosius, erga fideles, sibi commissos, parochi partes officij sui exequantur; singulis mensibus, aut secundo quoque mense, patres familias suæ parochiæ omnes ad ecclesiam parochialem semel conuocet, certa stata hora, quam commodam existimauerint. Quo in patrum familias conuentu, de familiæ bene, sancteq. instituendæ, et christianæ pietatis officijs conformandæ, rationibus grauiter, paterneq. illis consulant: id uero in primis agant ad præscriptum regularum, atque monitionum, quæ, potissimum de patrumfamilias cura confectæ, auctoritate nostra cum huius synodi libro in extrema parte typis impressæ sunt. Illud autem et parochi, et patres familias simul uideãt,

quantum studij, sollicitudinisq. adhiberi oporteat, ut ea omnia, singulaq. seruentur quàm diligentissime. De rebus præterea, ad ecclesiæ parochialis usum, cultumq. necessarijs, ita accurate agant, ut, si quæ opus erunt, quam primum fieri potest, certa inter se aliqua inita ratione comparentur. Nam domus Dei cura non clericis solum, sed laicis etiam pro pietatis officio incumbit.

DECRETVM XXI.

QVo diligentius concilij œcumenici Tridentini decreta, de matrimonio promulgata, in usum perducantur, atque seruentur ab ijs, ad quos omnino spectat; nos hæc, in quibus sæpe offendi, peccariq. animaduertimus, decernere, et sancire uoluimus.

Ac primum quidem, quoniam parentum erga liberos cura, aliquando pene negligens, rursusq. liberorum imbecillitas, quæ sæpe ad licentiam procliuis fertur, eò prolapsa est, ut sub matrimonij, quod appetunt, specie plerũque peccent, non sine etiam et honoris periculo, et rerum dispendio: ideo parochis, animarumue curatoribus in id maxime incumbendum est, ut frequenti, paternaq. cohortatione, prout usu uenerit, puellas commoneant, atque adeo eis persuadeant, ut, famæ honoriq. uirginali in primis seruientes, ne se, fictis nuptijs, deludi, in fraudemq. ac uitium induci patiantur: et proinde illis plane ostendant, matrimonium, quouis modo initum, contractumue, nullius roboris esse, nisi ad concilij

Tri-

Tridentini præſcriptum, parocho in primis, et duobus teſtibus præſentibus, contrahatur. Illud uerò ſæpe etiam monere non deſiſtant, ut ſponſi, ac ſponſæ, ante quam matrimonium rite confectum ſit, ne ſimul, ſed ſeparatim omnino habitent, atque uiuant.

Caueant præterea parochi, ne, ſi uerbis, aut nutu ſponſalia contrahenda ſunt, uerbis ijs utantur, quæ conſenſum præſentem ſignificare poſſint, ſed illis tantum, quæ de futuro plane dicuntur. Ne igitur temere errent; de uerbis proferendis, cum fieri poterit, conſilium petant.

Peruerſi homines, ad omne penè malum propenſi, cum uel matrimonium impedire, prohibereue, pro uiribus ſæpe contendant; uel aliquando inuitos matrimonio iungere, callide ſtudeant; quo fit, ut inde multa infeliciter, uel incommode potius fere omnia ſuccedant: id propterea parochorum cura ſit, quo tempore matrimonium futurum denunciant, eos, qui illud aut impedire conantur, aut ad idem contrahendum uim quandam adhibent, officij ſui monere; ac plane docere, quàm multa damna, atque adeo mala e nuptijs coactis præſertim exiſtant. nam matrimonij natura cum ſit, ut duos ſimul in unam coniungat; certe qui inuiti, coactiq. illud ineunt, uix, aut ne uix quidem ea coniunctione ita ſe arcte unquam deuincire poterunt, ut inde aliquando ſimultas ſæpeq. odium, aliudue malum non emanet.

Quamquam nuptijs contrahendis conſenſus parentum neceſſario non requiritur: tamen eſt illud iure tam diuino,

uino, quàm humano traditum, ut ad omnia, quæ præsertim grauiora sunt, parentum consilio, et auctoritate liberi utantur. nam cùm de honore parentibus tribuendo lex diuina præscribit, tum ciuilis hoc suadet, ut præcipue nuptijs ineundis obsequio eisdem satisfiat. Vbi enim illis aut inuitis, aut plane repugnantibus, nuptiæ contrahuntur; tunc sibi nolenti auus nepotem parat; sicq. è stirpe sua ortum, non modo non diligit, charumq. habet; sed plerunque male odit. Quo fit, ut et hoc, et alia præterea mala inde existant. Parochi igitur, ante quàm publice in ecclesia nuptiarum celebrationem denuncient, parentum, si qui nuptias contrahere uolunt, illos habent, uoluntatem in re tanta, quæq. magnæ deliberationis est, recte, ac plane cognoscant: nec uero, nisi perspecta illorum uoluntate, ad denunciationes progrediantur: sed ijs interea, qui nuptias inire uolunt, appositè grauiterq. demostrent, quàm utile sit, quamq. cum omni ratione conueniens, in ea re parentum consilio, auctoritateq. niti, atque omnino uti. Si uerò liberorum nuptijs parentum uoluntas repugnat, aut plane consentiens non est; ne parochi quicquam ea de re conficiant, quàm Episcopum, aut eius uicarium consuluerint.

QVicumque, qui rudes uidentur, nuptias contrahere uolunt, et parochum adeunt, ut illas denuncient, primum ab eo interrogentur, an orationem Dominicam, salutationem Angelicam, apostolicumq. Symbolum recte sciant; cum hæc fidei rudimenta ad salutem necessaria

 sint.

ſint. Et quoniam ſi illos hæc ſalutaria fidei initia plane ignorare compertum erit, non ſolum ſibi, ſed liberis etiam, quos, iam pene à cunabulis, fidei rudimentis imbuere debent, maximum ſalutis periculum creare poſſent; ideo, quo primum tempore denunciatio facta eſt, cum illa ignorarint, etiam iterum, quando altera fiet, experiundo cognoſcatur, an eadem didicerint. Neque porrò parochus prius ad denũciationem, quæ tertio fit, progrediatur, quàm viderit, eos fidei rudimenta, vſqueadeò ad ſalutem neceſſaria, optime ſcire.

QVoniam uerò ſæpe fit, ut, uix ultimo denũciatio facta ſit, nonnulli ſtatim, atque adeo inconſulto matrimoniũ perficere ſoleant, ne quicquam uel exigui temporis cuiquam detur, qui legitimum illius impedimẽtum in medium afferre uellet: ob eam cauſam parochus, ubi tertiò denunciarit, ad biduum etiam, uel triduum illius celebrationem differat: niſi ultimæ denunciationis diem continuò tempora ſequantur, quibus id celebrari interdictum ſit. Interea uerò is cum eorum, qui contraher uolunt, parentibus iureiurando agat, ut, ſi quid impedie menti his nuptijs conficiendis ineſſe ſcierint, libere profrant, atque euulgent. Siq. ullam iuſti impedimente cauſam ab illis reſciuerit; ne illos matrimonio ante iuni gat, quàm nos, aut Vicarium noſtrum de ea re plane conſuluerit.

NVptiarum ſolemnitates, et olim ſacrorum canonum iure, et nuper Tridẽtina ſanctione, certis ſtatis anni tẽpori-

poribus ita prohibitæ sunt, ut si quis eam interdictionē prohibitionemue, aut tyrannicam esse, aut ab ethnicorū superstitione profectam dixerit, anathema sit sacrosancta illius sanctionis auctoritate. Atque in eis quidem solemnitatibus, ut est peritorum interpretum probatissima sententia, cum ille vxoris ad maritalem domum ducendæ actus, tum etiam nuptialia conuiuia, tripudia, saltationes, et choreæ iure quidem censentur: quippe cum non solum cōiugum, sed aliorum etiam animi, istarum actionum, quæ plane uoluptariæ sunt, illecebris deliniti, quo tempore spiritalibus rebus intenti admodum esse debent, ad eas auocantur, quæ carnis sensui seruiūt omnino. Itaque, quoniam in nostra diœcesi eum deprauatum morem paulatim serpere, atque ex callida quadam canonum interpretatione manare animaduertimus; ita ut nonnulli ijs ipsis temporibus, cum nuptiarum solemnitates potissimum interdictæ sunt, sponsæ, uxorisue ducendæ actionem, saltationes, choreas, nuptialesq. comessationes, minime uetitas, neque interdictas opinentur; nos, quamquam perspicue manifestum est, istiusmodi actiones sententiæ canonum ualde admodū repugnare, tamen pro officij nostri pastoralis, quod sancte gerere debemus, munere, ut ne iste moris error firmiores radices in posterum agat, lateq. dimanet, ita, ut infra, cauemus, sancimus, et constituimus perpetui huius nostri decreti auctoritate. Ne quis quocumque gradu, statu, genere, dignitatisue splendore illustris, ijs tem-

poribus, quibus nuptiarum solẽnitates agi, celebrariue, sanctione Tridentina interdictum est, domum uxorem sponsam ducat: neue eo nomine conuiuia nuptialia condicat, celebetue; nec uero item ob eam causam saltationes, tripudiaue agat. Qui contra quicquam commiserit; aut culpæ eo in genere socius, particepsue fuerit; statim, spe nulla ueniæ proposita, ingressu ecclesiæ interdictus sit; quoad sponsus, sponsaq. inter se separati, debitas pœnas, pro personarum ratione arbitratu nostro dederint; absolutionisq. beneficium rite consecuti sint. Id uerò præterea ita sancimus, ut in isto crimine animaduertendo ucteres sanctiones, canonumq. leges locum etiam habeant, ac robur, uiresq. retineant.

DECRETVM XXII.

PRo fidelibus defunctis religiosas Deo preces, orationemq. Deo adhibere, officium est, salubre illud quidem, sanctum, christianæq. pietatis studio planè dignũ. Quare parochi hoc fideles, in curam sibi traditos, graui, atque adeo frequenti cohortatione moneant, ut, cum pro illis orationis signum, distinctis campanæ ictibus, prima hora noctis, aut, brumali tempore, prima hora, et dimidia dabitur, omnes, genibus flexis, ac supplices Deum, exiguo illo temporis spatio, religiose precentur, ut eorum animæ, è purgatorij supplicijs ereptæ, ad sempiterna cœlestis uitæ præmia perducantur.

DECRETVM XXIII.

CVm quis ex hac uita deceßit; parochus, audita illius morte, psalmum, De profundis, primò, ad altare supplex pie pro eius anima recitet; tum mox signum cãpanæ det: quo fideles moniti, ubicumque sint, pro defuncto genibus flexis paululum orent; ac semel saltem orationem Dominicam, salutationemq. angelicam religiose dicant.

DECRETVM XXIIII.

NE laicorum piæ sodalitates, confratriæue, cuiuscumque ordinis, atque conditionis sint, quicquam italico sermone concinant, aut recitent, graui suspensionis, et interdicti pœna proposita, quam statim subeant, quoties contrafecerint. Atque earum quidem sodalitatum preces, ut religiosæ pietatis plenæ sint, Deoq. propterea gratiores, illis explosis, quas antea leuiores, peneq. ridiculas adhibuerunt, in usum perducant officium canonicarum horarum de beatissima uirgine Maria, Pij Quinti Pont. maximi iussu, restitutum, precesq. eidẽ officio adiunctas. Ijs præterea institutis, atque regulis se se plane conforment: quæ, ex concilij prouincialis decreto, ipsarum causa confectæ, sedisq. apostolicæ auctoritate comprobatæ, in lucem prodierunt, amplißimo indulgentiæ thesauro illis proposito, qui ad earum regularum præscriptum se plane instituerint. Vt autem il-

las ipsas non modo suscipiant, sed omnino, seduloq. exequantur sodalitates; hoc ualde curabunt, qui illarum administrationi, curæq. præsunt.

DECRETVM XXV.

SIcut uisitationis munus utile est, atque necessariū: ita diligentem operam, curam, atque industriam requirit, ut uisitationis decreta in usum exequutionis perducantur. Itaque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inuiolate, integreq. omnia seruari mandamus, quæcumque Reuerendiss. Episcopus Laudensis, Nuncius, et Visitator Apostolicus, decreuit constituitue illius uisitationis apostolicæ nomine. Quæ porrò decreta quamuis urbes, oppida, uicos, et loca solū, quæ serenissimi Ducis Sabaudiæ statui, ditioniq. subiecta sunt, complecti uideantur: quia tamen ei, præcipuis sanctissimi D. N. Gregorij Papæ xiij. litteris, diœcesis nostræ Vercellēsis, quæ nō solum intra eiusdem serenissimi Ducis ditionē, sed etiam extra illius fines sita est, uisitatio commissa, atque delegata est; cumq. præterea illa ipsa decreta, et utilia, et salutaria, et usui, rationibusq. uniuersæ nostræ diœcesis opportuna, atque adeo necessaria esse uideamus; ideo nos tum illius, tum nostra etiam auctoritate, omnia illa ipsa decreta, uisitationis illius apostolicæ nomine ab eodem confecta, ac promulgata, ab omnibus, et singulis, quorum interest, in urbe, diœcesiq. uniuersa Vercellensi ubique suscipi, seruari, omniq.

obe-

obediẽtiæ ſpiritu ad executionis uſum perduci iubemus, pœnis nõ modò, quæ eiſdem decretis ſpeciatim, nominatimq. ſanciuntur, ſed alijs etiam propoſitis, quas pro contumaciæ, culpæq. grauitate, et perſonarum ratione, nos arbitratu noſtro irrogandas arbitrabimur. At uero, ne de his multis pœniſue quicquam controuerſiæ exiſtat, ita decernimus, ac declaramus, ut quoties, ob uiolata illius apoſtolicæ uiſitationis decreta, ob culpãq. eo in genere contractam, commiſſamue, fiſcus aliquam mulctæ, pœnæue partem conſequi debet, in ijs ſcilicet locis, quæ eiuſdem sereniſſimi Ducis ditioni ſubiecta non ſunt, ea pars, quanta, quanta ſit, omnis eorum locorum Domino iure cempetat, atque plane attribuatur.

DECRETVM XXVI.

QVo accuratius, atque adeo diligentius, ad Synodi noſtræ diœceſanæ tertiæ præſcriptum, muneris ſui partes exequantur teſtes ſynodales; et ex ijs nonnulli, qui in neceſſaria muneris ſui functione negligentiores aliquando eſſe poſſent, quo uigilantius, ſtudioſiusq. in ſuſcepti muneris curam incumbant, atque adeo maturius uideant, et quæ in ſynodo ſancte ſpondere debeant, et quo ſponſionis uinculo deuincti, ſollicite præſtent, quæ ſpoponderint: ideo iuriſiurandi, quo rite aſtringuntur, formulam, conceptis uerbis ex canone explicatam, mox infra recte exſcribi, atque promulgari uoluimus.

Iuriſ-

Iurisiurandi formula.

EGo N. testis Synodalis, à Reuerendiss. Episcopo nominatus, promitto, spondeo, et iuro, quod amodo in antea quicquid noui, aut audiui, aut postmodum ininquisiturus sum, quod contra uoluntatem Dei, et rectam Christianitatem in diœcesi, uel regione mihi cõmissa, factum sit, uel futurum erit, si in diebus meis euenerit, tantum, ut ad meam cognitionem quocumque modo, si sciuero, aut indicatum fuerit mihi, synodalẽ causam esse, et ad ministerium Reuerendiss. Episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus cælabo Reuerendiss. Episcopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque ex hoc me interrogauerit, sic me Deus adiuuet, et hę Sanctorum reliquiæ.

DECRETVM XXVII.

QVod deprauati moris est, id plane eripere debemus omni, quanta maxima possumus, cura, atque sollicitudine. Cum igitur ad nos delatum sit, detestabili quadam animi execratione, atque adeo certis imprecationis, detestationisq. uerbis ad altare sancti Antonij iusiurandum et concipi, et dari, quod sane nefarium est: id ne in posterum, neuè quicquam tale, quod purgationem vulgarem eiusue speciem præ se ferat, ullo modo committatur, fiat, agaturue, hoc decreto perpetuo uetamus.

DE-

DECRETVM XXVIII.

DEcreta uisitationis apostolicæ, quàm Reuerendiss. Episcopus Laudensis, Nuncius, et Visitator apostolicus præclare confecit, ab omnibus, ac singulis, quorum interest, cum in primis ob auctoritatem, qua sancita sunt, tum ob præclaras utilitates, salutaresq. fructus, quos, Deo bene iuuante, inde fore speramus, quamprimum suscipi, seruari; atque in omnem executionis usum perduci debent. Sed ea est negligentia, uel contumacia quorundam, qui quamuis ab eo, et à nobis moniti sint, ut ne illa quidem decreta adhuc sibi compararint, nedum ullo sane modo executi sint. Quamobrem unicuique ciuitatis, et diœcesis nostræ Vercellis clerico, uel in sacris ordinibus constituto, uel beneficium ecclesiasticum obtinenti, decem dies constituimus, ac præfinimus, quo temporis spatio eorum decretorum librum eorũ quisque habeat. Quicumque præstituto eo tempore non habuehabeat. Quicumque præstituto eo tempore non habuerit; sibiq. compararit; is præter mulctas, pœnasue, illis decretis sancitas, arbitratu nostro irrogandas, statim tribus aureis nummis, quos loco pio de more attribuimus, omnino mulctetur.

DECRETVM XXIX.

QVæcumque nos in hac quinta, & quarta superiori synodo decreuimus, et constituimus; ne quis ad eorum synodalium decretorum, et constitutionum executionem, accurate præstandam, ea unquam excusatione

uti poſsit, quod uel illa ignorarit, uel ad ſe pertinere uiderit, nos illa, iam in ſynodo, ut moris eſt, recte promulgata, cum primum poterimus, typis imprimi, in lucemq. edi curabimus. Vbi uerò edita erunt, duorum menſium ſpatio, ſibi quiſque illa comparet, habeat, legat ſtudioſe, atque in uſum introducat. At uero ſi quis uſque adeo negligens erit, uel ita contumax, ut priores illas noſtras ſynodos tres, iam diu promulgatas, typis impreſſas, ac editas, habere contempſerit; is huius culpæ, et contumaciæ reus, quatuor nummum aureorum mulcta, quæ loco pio de more attribuatur, omnino plectetur; et grauiori præterea pœna pro contumaciæ grauitate, proq. perſonæ ratione afficietur arbitrio noſtro.

DECRETVM XXX.

QVicumque uero in his decretis noſtris, in quinta hac ſynodo promulgatis, atque editis culpam aliquam contraxerit; is, præter pœnas, ſuo loco ſpeciatim ſupra ſancitas, alias etiam, prout canonum iuris eſt, et grauiores præterea dabit, arbitratu noſtro, pro culpæ, delictiue ratione.

FINIS.

LAVS DEO.

DECRETA

EDITA, ET PROMVLGATA IN SYNODO DIOECESANA VERCELLENSI VI.

habita

An. a CHR. NAT. MDLXXIX.

A REVERENDISSIMO D. D. I. FRANCISCO BONHOMIO, Dei, et Sedis Apostolicæ gratia EPISCOPO S. Ecclesiæ Vercellensis.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS,

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

NOs Ioannes Franciſcus Bonhomius, Dei, et Apoſtolicę ſedis gratia Epiſcopus Vercellarum, et Comes, ad Dei omnipotentis, beatæq. Mariæ, ſemper virginis, ac ſancti Euſebii Epiſcopi, et martyris laudem, hæc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum, populumq. fidei noſtræ concreditum, prælucere, totis in Chriſto viſceribus expetimus, in noſtra ſynodo diœceſana ſexta decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.

DECRETVM I.

De Hoſpitalibus.

CHaritatis, beneficentiæq. omnibus officijs, quæ in proximos conferuntur, magnam cæleſtis gloriæ mercedem propoſitam eſſe, ſacræ litteræ oſtendunt: ſed illa maxime Deo grata, atque accepta opera ſunt, quibus benigne fit, et ſuccurritur egentiſſimis hominibus, ægrotis, ac peregrinis. Itaque, ut, quæ ad eam rationem pertinent, legibus, et ſanctionibus communita, recte obſer-

obseruentur, hæc pro pastoralis curæ nostræ munere decernimus.

Primò Hospitalarius, isue, cui hospitalium ædium custodia committitur, uir sit, cuius fides, pietas, vitæ innocentia, sedulitas, charitas, grauium uirorum testimonio commendata sit.

Caueat, ne a quoquam, cum hospitium ingreditur, aut cum inde discedit, quicquam, uel minimum, accipiat, petat, exigatue.

Ne cum mendicis, qui ad quæstum omni simulandi arte utuntur, aliquam turpis lucri pactionem pro ijs recipiẽdis ineat.

Immo uero, ne eiusmodi nebulones, circulatores, et eos, qui, quæstus auidi, atque appetentes, se captiuos apud infideles hostes mentiuntur, aut comitialem morbum, ignem sacrum, plagas insanabiles, membrorum torporem, distortionem, debilitatemq. simulant, in religiosũ illum, piumq. locum hospitio recipiat.

Blasphemis item, aleatoribus, ceterisq. id generis hominibus, quos uitijs, flagitijsq. deditos esse, probabili coniectura suspicabitur, ad hospitales illas ædes, quæ pauperibus probatæ uitæ, Deumq. timentibus paratæ sunt, omnem aditum intercludat.

Curet item, ne quid peregrini, aduenæ, pauperesq. hospitio excepti, contra christianam pietatem, bonosq. mores admittant.

Quinimo certam horam, tum mane, tum uesperi, præscri

bat,

bat, qua, ictibus paruulæ campanæ datis, omnes simul aliquantisper orent.

Doctrinæ christianæ institutionem introducat: qua præfinito aliquo temporis spatio erudiantur. si enim ijs ad corporis uictum, curamq. benigne suppeditatur; illud etiam maxime curandum est, vt spiritale christianæ doctrinæ pabulum eisdem tribuatur.

Vt autem omnis intemperantiæ, atque turpitudinis, uel occasio, uel suspicio uitetur; mares separatim a fœminis hospitio excipiat. Ac ne eos quidem in eodem cubiculo habitare sinat, qui se matrimonio iunctos affirmant.

Ne pueros unà cum adolescentioribus, maioribusq. natu in eodem lecto cubare permittat.

Neque iterum eos, qui integra valetudine sunt, cũ ægrotis, aliquoue morbo laborantibus.

DECRETVM II.

NE in re grauissima peccetur, uidendum est, an mulieres, quæ obstetricis officium obeunt, cum aliquando, instante mortis periculo, baptizare necesse habeant, sacri baptismi formam, recte teneant. Ideo unusquisq; parochus caueat, ne in parochiæ suæ finibus eo obstetricis munere mulier ulla fungatur, nisi primum per examẽ cognouerit, eam rite, recteq; nosse, quæ ad materiã, et ad formam in primis huius sacramenti pertinent. Quas res plane si ignorare animaduerterit, eius muneris functione illam prohibeat, quoad recte instructa sit:

in-

instruere autem, sui parochialis officij sit.

DECRETVM III.

COemiteria cum sacra loca, religiosaq. sint, signum quoddam certum habere plane debent, quo a prophanis locis recte internoscantur. In unoquoque igitur cœmiterio, sacrosancta Crux e lapide, ubi per facultates potest, aut e ligno, decore confecta, loco conspicuo erigatur: quæ etiam, ut a pluuia, et temporis iniuria defendatur, tecto aliquo contegatur.

DECRETVM IIII.

ALienationis bonorum ecclesiasticorũ perpetuæ, vel ad longum tempus tabulas, instrumentaue publica, conscribere, conficereue, ne cuiquã alij notario, nisi fori episcopalis, uel collegiatæ ecclesiæ capituli, cuius res agitur, cancellario, secretarioue liceat.

DECRETVM V.

SIt in omni confessionali sede a parte, quæ ad pœnitentem uersus spectat, proposita, atque affixa, Christi Domini, cruci affixi, sacra imago; ab altera parte, in qua confessarius sacerdos sedet, tabella casuum reseruatorum, et processus litterarum, quas die cœnæ Domini quotannis à summo Pontifice edi moris est, exemplũ, ac tabella præterea, decore, recteq. fixa, agglutinataue sit, in qua forma absolutionis, rite descripta, appareat.

DE-

DECRETVM VI.

BAptisterij clauis, separatim ab alijs clauibus aßeruetur: vtq. facile internoscatur, certo aliquo signo et ab ea, quæ est tabernaculi sanctissimæ Eucharistiæ, et ab illa armarij, fenestellæue, ubi oleum sacrum infirmorum custoditur, distincta varie sit. Atque hæ quidē claues omnes, cum seris suis, faciles ad aperiendum sint: ita tamen, ut bene firmæ, beneq. ferruminatæ, ac scite, et fabre factæ, usui etiam sint ad tutam custodiam.

DECRETVM VII.

A Fronte vniuscuiusque ecclesiæ, in summa parietis parte, crux e ferro præfigatur. Eius item pars anterior, rubro colore, decenter oblinatur: si modò sacris imaginibus, picturisue ornata non sit. Illud verò curetur omnino, ut a summa parte ianuæ primariæ, loco illustri, tabula, imagouè sacra beatißimæ uirginis Mariæ, in sinu filium habentis, collocetur: et sancti item, sanctæue, cuius nomine ecclesia nuncupatur, ab uno latere, ab altero autem alterius sancti pro populi deuotione effigies appingatur.

DECRETVM VIII:

NE cuiquam capellano sacerdoti, in ecclesia parochiali, Mißam ante celebrare liceat, quàm parochus celebrarit, nisi eiusdem parochi permißu, nec rursus eo ipso temporis momento, quo ille celebrat. At uero pa-

rochus hora conuenienti, et populo commoda, celebret.

DECRETVM IX.

EOdem tempore, in duobus altaribus, e regione positis, ne Mißa celebretur: ut unus, et alter ſacrdos, dum rem ſacram facit, auerſus inter ſe non ſit.

DECRETVM X.

SAnctum infirmorum oleum, cum ferendum eſt, feratur, adhibita paruula cruce, ſine haſta ſcilicet. Quæ crux, dum æger vngitur, e regione poſita, ob oculos eius proponatur, et apud illũ relinquatur, uel alia eius loco ponatur quoad animum egerit: ut paſſionis Christi Domini memoria excitatus, ſe ſe erigat ad deſiderium patriæ cœleſtis.

DECRETVM XI.

PArochus nullum officij genus, quo fideles, ſibi in curam traditos, ad pietatem excitare poßit, prætermittere debet. Quare in vnaquaque parochiali eccleſia ter in die, mane, meridie, ſub noctem, cãpanæ ſono fideles excitentur ad orationem; ut meminerint, ſi ſæpius non poſſint, ſaltem tribus his temporibus eße orandum, vt pſalmus docet: ueſpere, mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudiet uocem meam. Vt igitur ij, non ſolum campanæ ſonitu, ſed parochi cohortationibus moniti, certis illis diei potiſſimum interuallis, ſe ad breuiſſimum

mum ſaltem temporis ſpatium colligant, menteq. ad Deum conuerſi, orent; illos unuſquiſque parochus religioſe, frequenterq. moneat, atque hortetur. Quo in cohortationis genere doceat, quàm ſæpius fidelibus orandum ſit, ut non ſolum in eas ſingulas certas horas, ſed in ſingula potius momenta, de innumerabilibus beneficijs, quæ Deus in illos pro bonitate ſua confert, pie gratias agant. Illis vero ſtatis interuallis, maxime precandum, beatiſſimæq. virginis Mariæ patrocinium inuocandum, ſalutatione angelica, ut per eximia beneficia, ijs horis collata, quibus illa adfuit, miſericordiã omnibus impetrare dignetur a filio. Campanæ ictibus matutinis renouatur memoria reſurrectionis Christi Domini, qui reſurgens ex mortuis, ſtatim ſanctiſſimæ matri ſuæ apparuit. meridianus ſonus datur ad excitandam memoriam, et recordationem paſſionis Christi, cui virgo mater interfuit: veſpertinus autẽ ad recolendum mente, animoq. beneficium incarnationis Christi, in vtero virginis. Quo diligentius autem parochus ad hoc orationis ſtudium excitet; Indulgentiam proponat, quam plenariam Paulus Tertius, pontifex ijs conceſſit, qui ſtatis illis campanæ ſignis ter ſalutationem angelicam ſupplices pronunciauerint, tribus illis verſiculis additis, qui in officio beatæ virginis Mariæ aſcripti ſunt.

Est illud, et sanctorum patrum decretis, et multorum conciliorum sanctionibus, et Tridentino concilio perpetuoq. uniuersæ ecclesiæ vsu, ac consuetudine traditum, atque adeo constitutum, ut a grauioribus peccatis, grauioribusue culpis, non quiuis sacerdos, sed Episcopus pœnitentem absolueret. Quare nos de more, atque instituto, grauiorum quarundam culparum, et grauiorum casuum, quos infra ordine notatos, atque explicatos, in hac synodo sexta promulgari voluimus, absolutionem nobis reseruauimus; ut ne confeßarij sacerdotes, quicumque sint, quemquam, his culpis, criminibusue irretitum absoluere attentent: nisi per nos facta sibi scriptis huiusce absolutionis potestate. Proinde omnem a casibus reseruatis absoluendi potestatem, confeßario cuiuis sacerdoti et Regulari a nobis ante datam, abrogamus; neque suffragari volumus ad casuum, quos nuper hoc decreto reseruauimus, absolutionem. Quicumque confeßarius sacerdos contrafecerit, excommunicationis pœnam subeat.

Casus, nuper nobis reseruati.



VI hæreticos, hæresisùe nomine suspectos, eosùe item, qui hæreticorum libros habent, si quos tales sciunt, non denunciant.

Publici, & notorij Blasphematores.

Raptores virginum.

Qui Moniales violarint.
Qui earum septa ingressi sunt, facultate non impetrata.
Qui abortum procurarint.
Qui tertio, vel propinquiori gradu consanguinitatis, vel affinitatis incestum admiserint, Sodomitæ, et qui cum brutis coierint.
Incendiarij, et qui damni, iniuriæue causa vites, vel arbores alienas inciderint, Sacrilegi, et nocturni agrorũ depopulatores.
Homicidæ voluntarij.
Qui parentes percusserint.
Qui infantes exposuerint per se, vel per alios.
Qui falsa instrumenta confecerint, et qui conficienda mãdarint, consiliumùe præstiterint.
Qui legata ad pias causas facta non denunciauerint Episcopo, vel ijs, ad quos pertinet.
Vsurarij, vsurarumq; mediatores, et qui instrumenta, quæ manifestas vsuras continent, tacitè, vel expreßè, confecerint.
Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, et ad alia huiusmodi Eucharistia, sacrisùe rebus abuti ausi fuerint.
Venefici, et qui potiones dederint, vt quis moriatur, vel morbo tabescat, insaniatùe.
Sacerdotes, qui verbis, signis, factis, literis, nutibus, vel quocunque alio modo confessionem reuelauerint.
Qui stateras, mensuras, monetasùe adulterauerint, corruperintùe,

perintùe, aut in eo consilium præstiterint.

Qui clandestina matrimonia contrahere attentauerint, quiùe eisdem interfuerint.

Qui matrimonium de facto cum alia contraxerint, prima vxore viuente.

Qui ante matrimonij celebrationem carnali copula se coniunxerint.

Qui paruulos suffocarint, quiq; eos in lecto infra annum retinuerint, etiam non secuta suffocatione.

Qui legata, uel quæuis alia debita monialibus non persoluerint.

Qui scienter detinuerint ecclesiasticum beneficium, vel bona Ecclesiæ sine iusto titulo.

Clerici in sacris constituti, vel beneficiati, & habitum, & tonsuram ordini suo, ac dignitati congruentem non deferentes.

Qui decimas, ad quas se teneri sciunt, non persoluunt.

Sacerdotes in ecclesia, uel cæmiterio scienter sepelientes cadauer alicuius excommunicati, vel interdicti.

Qui terminos possessionum Ecclesiæ mutauerint, cœlauerintùe.

Qui libellos famosos confecerint, aut illis auxilium, consilium, fauoremùe præstiterint.

Qui uetitis cibis Quadragesimæ tempore absq; permissu nostro, seu Vicarij nostri vsi fuerint.

Lanistæ, & caupones, carnes, & alia prohibita sine licentia vendentes; seu uenales exponentes.

Qui

Qui executionem literarum à nobis, vel à Vicario nostro emanatarum directè, uel indirectè impedierint.

Qui extra Ecclesiam, cum missæ sacrum celebratur, morantur.

Qui doctrinæ Christianæ initia ignorant, neq; addiscere curant.

Mulieres, quæ capite rite nõ velato Ecclesiã ingrediũtur.

Formula absolutionis a quolibet Confessario Sacerdote in Sacramenti pœnitentiæ ministratione adhibenda.

MISEREATVR tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternã. Amẽ.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotẽs, & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis minoris (aut etiam, si eius rei facultatem habeat confessarius) maioris si qua teneris.

Deinde absoluo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris. ✠ & Filij ✠ & Spiritus sancti. ✠ Amen.

PASSIO Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper virginis, & omnium sanctorum, & quicquid bonifeceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium uitæ æternæ. Amen.

Vade in pace, & noli amplius peccare.

DE-

DECRETVM XIII.

TRidentina œcumenica synodus, illud episcopali uigilantiæ quàm diligentissimè cõmendauit, ut, si quæ uel hominum uitio, uel temporum iniuria corruptelæ in nuptijs celebrandis irrepserint, illæ radicitus extirpentur. Atque eò quidem uehementius in eiusmodi curam incumbendum est, quo grauius, atque adeo sæpius in illis peccatur. Quare ad nuptias, matrimoniaq. impediẽda, uel dirimenda eò cum uentum sit, ut ueneficia, fascinationesue homines adhibeant: atque usque adeo frequenter id sceleris committant, ut res plena impietatis, ac propterea ferenda non sit. Itaque, ut à tanto, tamq. nefario crimine, pœnæ grauitate deterreantur; excommunicationis latæ sententiæ vinculo fascinantes, et uenefici id generis irretiti sint. Quam ipsam pœnam etiã illos subire decernimus, si qui in illis soluendis uerba improbata, superstitiosa, atque adeo alia, quàm quæ nobis primum probata sunt, adhibuerint: cum id non sine diuini cultus offensione, maximè faciant.

Neque ferendæ sunt illæ duæ, deprauato morum usu introductæ corruptelæ: una scilicet, quod cum uiduus uxorem ducit, aut vidua iterum nubit, tum per vicos, et plateas clamores ingentes, tumultuosæq. uoces, à prophano gentilium more non abhorrentes, ac strepitibus hominum, quasi exagitandis secundis nuptijs eduntur: altera est, cum certa quædam pecunia, uel prandium, uel cibaria res ab ijs extorquetur, qui uxorem ducunt.

Quas

Quas ambas corruptelas, a christianæ pietatis institutis, atque a matrimonij, quod celebratur, et sanctitate, et libertate alienas, etiam si exacta pecunia in usum pium conuertenda sit, in perpetuum vetamus, interdicimus, ac prohibemus. Quicumque vero aliquid ullo modo in hoc genere, peccauerit, deliqueritùe, pro modo culpæ, contumaciæùe, pœnis, et censuris grauiter arbitratu nostro afficietur.

DECRETVM XIIII.

ANtiquæ alicuius ecclesiæ consuetudines, quæ præsertim in pietatis cultu elucent, quam diligenter retinēdæ sint, non solum canonum decreta iubent, sed sanctissimi patres docent. Cum igitur in sanctæ ecclesiæ Vercellensis more, usuq. iampridem positum esset, vt clerus omnis, qui in vrbe est, in basilica cathedrali præsens adesset, quo tempore Missarum, et vesperarum solemnia Episcopus celebraret, sicut antiquissimi libri ritualis, quo uetus cæremoniarum nostræ eiusdem ecclesiæ usus explicatur, monimenta testantur: nos propterea pro studio, quo tenemur, ueteris sanctæ disciplinæ, ad pristinum usum restituendæ, proq. officio diuini cultus, cui nos addicti, Vercellensi populo in Christo ministramus, in eam deliberationem uenimus, ut omni, qua maxima potest, cleri frequentia quemadmodum antiqui moris est, episcopalia officia celebrentur. Quare hoc synodali decreto, cuius auctoritate, quod inter-

mißum est, ad vsum consuetudinemque reuocamus, illud statuimus, ac decernimus, vt omnes, & singuli cuiuscumque ordinis, uel maioris, uel minoris clerici, omnesq. præterea, ac singuli sacerdotes, qui in vrbe Vercellensi domicilium habent, diebus solemnibus, quibus ab Episcopo solemniter celebrari moris est, in ecclesiam conueniant; ubi ille pontificali ritu celebrarit, quo frequentioris cleri studio religioso populus excitatus, itidē faciat. Hoc decreto omnes clericalis ordinis homines astrictos teneri volumus, ac plane decernimus, præter parochos, eo potissimum tempore, horaùe, cum parochialis curæ, officijq. occupationibus impediti sint necessariò. Quicumque uero ad conueniendum negligens, contumaxùe erit; pœnam, mulctamùe luet arbitratu Episcopi.

DECRETVM XV.

TEmpla Dei quàm diligenter, et studio quàm sollicito ædificanda, restituēdaùe sint, et quo apparatu, cultuq. exornanda, cum sacræ litteræ sæpe ostendūt, tū Aggæus propheta docet. Itaque de ecclesiarum fabrica, ac de ecclesiastica supellectile, in qua diuini cultus splendor magnus inest, pie, grauiter, prudenterq. decreto prouinciali Mediolanensi cautum est. Cuius decreto, cui nos etiam subscripsimus, auctoritate, Illustriß. Cardinalis S. Praxedis, et Archiepiscopus, uir sempiterna memoria dignus; librum eo de genere conficiendum, atque

edendum

edendum curauit, qui uniuersæ prouinciæ suæ usui esset. Nos igitur, ut, pro officij nostri munere, et prouinciale decretum exequamur, et librum illum, quem urbis, diœcesisq. nostræ ecclesijs utilem, necessariumq. censemus, ad consuetudinem introducamus, quò accuratius fabricæ, supellectiliq. ecclesiarum prospiciamus, atque caueamus; illud decreto hoc edicimus, iubemusq. ut omnes, singuliq. parochi, et sacerdotes, ac reliqui, quicumque sint, qui beneficium ecclesiasticum obtinent, mensis spatio præstituto post synodi huius promulgationem sibi librum illum comparent: ad cuius libri instructionum, ac regularum præscriptum deinceps, quoad eius fieri potest, ecclesiasticiq. census ratio fert, et ecclesiarum, altarium, capellarum, ceterarumq. partium fabricam accommodent, uel restituant; et pro modo unicuique ecclesiæ præscripto, supellectilis etiã ecclesiasticæ apparatum conficiant.

DECRETVM XVI.

VT sacramentum ordinis, quo vno ad ministeria Ecclesia rectè, legitimèq. obeunda fit additus, quo debet studio, et ueneratione suscipiatur, et administretur, quod ut Apostolus ait, Nemini cito manus imponenda est; quicũque in posterum, et præsertim sacris initiandi sunt, hæc, quæ de ipsorum unoquoq; inquirenda sunt, diligenter sciant.

Scientia, morum, vitæq. innocentia, beneficij, pensionis,

patrimoniiue titulus, unde aduictum necessarium satis esse queat. Edictum idcircò mensibus antè ferè duobus, quam dies sacræ ordinationis ueniat, publicè proponetur: quod etiam de suggestu in Cathedrali Ecclesia frequenti populo, festo primo die promulgatum, ualuis de more affigetur.

Primo Dominico sequẽti die, publicæ in vrbe à toto clero et populo supplicationes fient. Parochi deinde omnes tàm vrbani, quàm Diœcesani, die festo proximè sequenti, postquam id acceperint, idem populis significẽt; eosq. ad processiones piè religioseq. singulis diebus dominicis obeundas Deumq. opt. max. suppliciter exorandum. utij potissimũ sacris ordinibus adscribantur, qui in sanctitate, et iustitia illi seruiẽtes sacris altaribus dignè ministrare, uereq. lux mũdi, et sal terræ esse possint.

Quicumque autẽ ad maiores ordines promoueri uoluerint, triginta ante statam ordinationem diebus, Episcopum adeant qui parocho, aut alteri sacerdoti, id curæ deleget, ut ad Concilij Tridentini præscriptum, de illorum moribus, uita et natalibus acuratè perquirat.

Feria vero quarta proximè diẽ ordinationis præcedente, tàm ipsi, quam alij omnes, qui uel prima tonsura, uel minoribus ordinibus initiari uoluerint, se ad Episcopũ, aut Vicarium nostrum generalem, examinis soluendi causa conferant.

Qui uerò ex urbe sunt, aliquot antè diebus cõuocentur, ut commodius, ac diligentius eorum examini incumbatur,

tur, ſi qui poſt quintam feriam conuenerint, nulla eorum ratio in ea ordinatione habeatur. Cùm examina non properanter, ſed maturæ perficienda ſint. Ne, quod uſu eueniſſe hactenus compertum eſt, ſæpe indigni, atq; ignari prorſus ad tantam dignitatem prouehantur.

Singuli autem libellum imprimendum de ordinis ſacramento, cum ea Pontificalis parte, quæ ordines complectitur, ſecum adferant, ut quiſq; uidere facile poſſit, quid agat, quidùe muneris ſuſcipiat.

Vicarius, Archidiaconus, uel qui ordinandorũ examini præerit, hæc de ijs, qui Clericali militiæ ſe adſcribi petierint, uidebit diligenter.

An diœceſani ſint, uel, ſi extrãei, an legitimas à ſuis Ordinarijs dimiſſorias attulerint. An legitima ſint ætate, quod in alijs etiam ordinibus accuratè quærendum eſt.

An defectũ natalium patiantur. An ſacrum Confirmationis ſacramentum ſuſceperint. Quod quidem nemini quo die ordinationes habentur, miniſtrabitur.

An in eccleſia frequenter, piæq; uerſati, ſua munera bierint.

An doctrinæ Chriſtianæ ſcholas frequentauerint.

An ea ſpe ſint, ut in Eccleſiaſtica diſciplina permanſuri, progreſſumq; habituri iudicentur. An præterea Chriſtianæ fidei rudimentis inſtructi ſint. An rectè legere, & ſcribere norint.

Tùm uerò parochi, et ludimagiſtri litteræ obſignatæ diligẽter inſpiciantur, quibus de eorũ, qui initiandi ſunt, vita,

ta, moribus, ingenio, indoleq; atq; in perdiscendo progressionis spe, certum fiat testimonium, siquis autem sine illis uenerit, is ne admittatur omnino, ac ne interrogetur quidem.

Qui aliquo minori ordine initiãdi sunt, litteras prioris à se suscepti ordinis exhibeãt: tùm functiones in Ecclesia cui adscripti fuerint, præstitas, illius Ecclesiæ præfecti litteris testentur. seq; habitum clericalem, et coronam, suo ordini congruentem, semper gestasse.

Tùm uerò diligentius interrogentur, an in litterarum scientia aliquid profecerint, an ritè ordinis, quem suscepturi sunt, munera et functiones, norint.

An officium de Beata Maria virgine recitare sciant.

Qui hæc ignorauerit, uel de omnibus, quæ præscripta mox sunt, idoneum testimonium non attulerit, aut in tempore opportuno non adfuerit, ab illa ordinatione omnino excludatur.

Ad maiores ordines promouendi, sedulò interrogentur.

An ex instituto, usuq; Breuiarij Ro. Pij V. iussu editi horas Canonicas recitare sciant.

An item ijs, quæ ad ordinem, quem suscepturi sunt, quomodolibet spectant, benè instructi sint.

Ad sacerdotium autem non admittentur, nisi qui de sacramentis, et eorum uirtute respondere, sacrumq; Missæ Canonem exponere rectè nouerint.

De ætate item Tridentino Concilio præscripta legitimũ afferant testimonium videlicet, si Subdiaconi futuri

sunt, se xxij. si Diaconi xxiij. si Præsbyteri xxv. annũ saltem attigiße. Quo in genere quia peccari frequentius contingit, omnem curam ac diligentiam, tum Vicarius, tùm Archidiaconus, aut is qui examini præerit, ponat, ne ulla fraus fiat, errorùe comittatur.

Quod si quis promotus antè legitimam ætatem fuerit, eousq. à Diuinis suspensus maneat, quoad opportunam à sede Apostolica dispensationem obtinuerit.

De beneficio item Ecclesiastico pensioneùe, aut patrimoniali censu, qui ad uitam honestè sustentandam satis sit, uideatur quàm diligentissimè.

Quod ne indefinitũ maneat, neq; amplius, quod interdum à paucis etiam annis contigiße perspectum est, cõtra sacri Tridentini Concilij mentem sacerdos aliquis promoueatur, qui censum, quo sustentetur, nullum habeat: hoc perpetuò decreto sancimus, ac statuimus, ut census patrimonij, uel pensionis, alteriusue cuiusuis annui redditus, uiginti minimum nummorum aureorum summa sit. Quamuis enim ægrè modico isto censu uictitare quis poßit, ut tamen aliqua ratio paupertatis locorum habeatur, & Ecclesiæ necessitati; quæ maximam ministrorũ patitur penuriam, succurratur, eousq; descendere uisum est.

At nen instrumentis, quæ eiusmodi census donandi, assignandiùe causa confici solent, fraus ulla intercedat, ea ne ab alio conficiantur, quam ab episcopali notario in urbe, atq; in diœcesi ab eo, quem Episcopus ipse probauerit.

bauerit. Ipsi verò ne illa conficiant, nisi prius duorum hominum illius loci grauissimorum, quos etiam iuramento obstrinxerint, testimonio sibi constiterit, bona illa donata, aßignataùe à donante iure ac pacificè possideri: eumq; illius conditionis eße ut donata bona ab alio euinci, uel aliàs repeti poße timendum non sit.

Qui vero ordinē suscepturus est, omnino spondeat, ac iuret se commißurum nunquam, ut illa uel donanti retrocedat, uel quouis pacto alienet, distrahatue absque Episcopi consensu.

Vtrumq; autem iureiurando Notarius obstringat, nullam fraudem, aut deceptionem intercessisse, quominus uera illa & realis sit, liberaq. absque occulta aliqua pactione donatio. Omnes postremò, qui aliquo initiandi sunt ordine, alicui statim Ecclesiæ adscribentur in qua suas quisq; functiones studiose obibit, atque alias etiam quæ pro uniuscuiusque ordinis ratione, diligentius assignandæ videbuntur.

Regulares quoq; ex Tridentini Concilij sanctione ad ordines & præsertim sacros, nisi prius à nobis diligenter examinati; haud quaquam admittentur.

Archidiaconi itē cura illa sit, eorum omnium, qui ordines suscipiunt, tàm regularium, quàm secularium nomina et cognomina, titulumq; describere, et Ecclesiā, cui illi adscribuntur, et diem, quo ad maiores, vel minores quique promouentur ordines, in certum codicem referre; quem quidem uel eius exemplum quotannis

Epi-

Episcopo, aut Vicario generali tradat, in archiuio episcopali perpetuò asseruandum.

Quia vero omnes, clericali tonsura, vel alijs ordinibus initiati, ordinis suscepti litteras testimoniales secum afferre debent; ideo quamprimum eo ipso scilicet ordinationis die, uel proximè sequenti ad summum, litteræ omnes testimoniales à notario conficiantur. Illæq. in hædina charta conscriptæ, singulis initiatis sine mora tradantur, ea mercede persoluta, quæ decimam aurei nummi partem, ne minimo quidem quadrante, excedat: quacunq;, uel immemorabili consuetudine, non obstante, quæ, sacro concilio Tridentino planè repugnãs, corruptela potius uidetur; ideoq. funditus antiquetur, ac planè rescindatur. Ea etiam proposita illis pœna, qui uel minimum aliquod plus, exegerint, extorserintuè aut à sponte etiam dantibus acceperint, ut, et tabellionatus omnibus officijs, ac beneficijs Ecclesiasticis priuati ipso iure sint. Nec uerò in posterum digni unquam censeantur, qui illa obtinere possint: alijs etiam grauioribus pœnis arbitrio Episcopi mulctentur.

DECRETVM. XVII.

NAtali Domini die, quo ex catholicæ Rom. Ecclesiæ, iam inde ab Apostolicis temporibus traditione accepta, et summorum Pontificum constitutione tres ab unoquoque sacerdote Mißæ celebrandæ sunt, primæ, atq; secundæ purificationis uinum in ultima post re-

ceptum sanguinem, statim cum reliqua purificatione absumendum, in aliquo uase, aut calice ab eo, qui celebrationis est, distincto, super altare conseruetur: ne quod à plerisq;, qui non diligenter de ritu aduertunt, passim hactenus peccatum est, super remanentes adhuc in calice, nondum absterso, prætiosissimi sanguinis reliquias, uerba repetere contingat. In parochialibus uerò, aut alijs Ecclesijs, in quibus non consequẽter una post aliam, sed statis ad Missalis Rom. et sacrorum canonum ritum horis, Missæ decantandæ sunt, illud ipsum uinum, intra sanctissimi Sacramenti tabernaculum similiter à celebrante cum postrema purificatione suscipiendum reponatur.

DECRETVM. XVIII.

QVemadmodum Sacerdoti, aut Diacono dicenti, Humiliate capita uestra Deo, respondendum nullo modo est, ne illud quidem, quod à plerisque adiungitur, Parce domine, parce populo tuo: ita post, Orate fratres etc. Clericus uel, eo negligente, sacerdos orationem illam, Suscipiat dominus sacrificium tuum etc. prorsus ne omittat. Omnes præterea, tam sacerdotes, quam ipsorum ministri, et ad altare assistentes, Missalis Rom. ex decreto concilij Tridentini restituti, et Summi Pont. Pij quinti iussu editi, ritus, et cerimonias studiosè per discant, et obseruent.

DECRETVM. XIX.

INdulgentiarum pretiosissimus thesaurus, diuino prorsus munere catholicæ Ecclesiæ concessus, et si omni tempore, hoc tamen, quo illa ab hæreticis uehementius oppugnatur, et religionis priscus ardor obtepuit, potissimum necessarius, ut cum omni pietate in nostra diœcesi retineatur: Parochi grana, siue globulos per summum Rom. Pontificem, aut quosuis alios ipsius authoritate benedictos, per quos illæ ut plurimum communicantur, ab omnibus, quanta maxima possunt ueneratione perquiri, tractari, conseruariq; procurent.

DECRETVM. XX.

ET quando benedictionis agnorum Dei ritus, qui singulis primis nouorum Pontificum Rom. ingressibus eorumdemq; septimo quoque pontificatus anno ex antiquissimo, ac religiosissimo sanctæ Catholicæ Ro. Eccles. instituto confici, et per Ro. Pontificem, amplissimorum Cardinalium ministerio, benedici consueuerunt, opportunè admodum in præsentem hebdomadam incidit ad eorum sacrorum agnorum deuotionem, et reuerentiam, quoad eius fieri potest, nostræ diœcesis fidelium animis imprimendam, conseruandamq; in hunc, qui sequitur, modum statuimus, Deum optimum maximũ ante omnia suppliciter precati, ut sanctissimum D. N. Gregorium huius nominis decimum tertium, legitimum eius in terris Vicarium, pro sua benignitate, et clementia,

sanctæ suæ Catholicæ Rom. Ecclesiæ, non uno, aut altero tantum septennio, sed diutissime, et ad annos usq; Diui Petri, cui uerè successit, incolumen seruet.

Parochi et reliqui Ecclesiarum rectores, huiuscemodi benedictionis, atque solennis consecrationis multiplicem uirtutem aduersus pestilentiam à qua etsi diuina misericordia liberati respirauimus, nec dum tamen eius metu soluti sumus, et contra Dæmonum uiolentos incursus, ac tentationes, efficacissimam, populis, suæ curæ traditis, publicè, et priuatim frequentius exponere studeant.

Singulos deinde tàm uiros, quàm fœminas ad agnorum imagines decenter, non ad luxum, et pompam, quibus fides minuitur, sed ad pietatem ornatas, collo appendendas, uerum etiam ob illarum uim, qua par est, reuerentia in cubiculis, et domibus asseruandas exhortentur.

Postremò tàm parochi ipsi, quàm singularum Ecclesiarum homines, maioris, et elegantioris formæ aliquot, uel unam saltem, argento, siue aurichalco, aut nuceo ornamento inaurato, quamprimum parent. Quas tempestatibus, quæ frequentissimæ in tota hac prouincia contingunt, propulsandis, exponant.

Atq; ut omnium animi uehementius incitentur; illarum uirtutem, aliàs uulgari sermone in lucem editam præsenti decreto subijciendam duximus. Quam parochi, ne memoria excidat, crebro perlegant.

Vetustissima igitur sanctæ Catholicæ Rom. Ecclesiæ

traditione ijs à quibus cum fide et deuotione, sicuti sacras res decet, portantur, pertractanturq; hæc conferunt.

Maris ac terræ tempestates fugant.

Fulmina, grandines, terræmotus, urentes uentos, noxiosq; inbres dissoluunt.

Pestilentiæ comitialiq; morbo auxiliantur mirificè.

Subitam mortem, ignis incendia, aquarum inundationes, hostium externorum insidias, malignorum spirituum fraudes auertunt.

Pregnantibus auxiliantur, contra diabolicas tentationes muniunt.

Orationum denique per summum Pontificem in ipsarum cõsecratione adhibitarum uirtute ab omnibus tam spiritualibus, quam corporalibus periculis tuentur.

DECRETVM XXI.

QVod sacrosanctum Tridentinum Concilium, et Pij Quinti fœl. mem. grauissima constitutio ex antiquorum Canonum legibus, Episcopis, et alijs Prælatis præcipit, ut in suis ciuitatibus et diœcesibus pie religioseq; in Dei, et sanctorum honorem institutos festos dies obseruari mandent, iure optimo in primo, et latius in tertio prouinciali Mediolanensi concilio, ad earum constitutionum exequutionem, nec non ad uarios, et in hac diœcesi frequentiores abusus euellendos, quibus debita festorum obseruatio impediebatur, de-

creta

creta aliquot edita, et promulgata sint. Quæ quidem sæpius per nos legitime diuulgata, in hac tamen urbe, et diœcesi minus diligenter, quòd quemadmodum exequenda sint, fortassis ignoratur, obseruari animaduertimus: idcircò pro nostro Pastorali munere, in re præsertim adeò ad diuinum cultum spectante, quæ magis necessaria videntur, præsenti statuto breuiter comprehensa subiecimus.

Quapropter omnibus, et singulis diœcesis nostræ hominibus in uirtute sanctæ obedientiæ, et sub pecuniaria pœna pro parte una locis pijs arbitrio nostro, pro altera Fisco seculàri, pro tertia in accusatoris exequutorisuè, cuius etiam res ipsæ erunt, utilitatem conuertenda, temporum, personarum, et inobedientiæ ratione habita, et sub alijs etiam grauioribus pœnis ad interdictam usq; præcipimus, ut sex diebus, quos pro trina et peremptoria monitione assignamus, transactis, infrascripta omnia et singula inuiolate exequi studeant.

Nundinæ, mercatusue die festo ne habeantur.

Muliones, equorum, iumentorumue ductores, et locatores, tonsores, sutores, sartores, alijq; artifices, institores, et mœchanici, aut eorum famuli, ne ullum artis suæ opus exerceant.

Libros, iconas, pictas tabellas, flores, plantas, aues, et similia, minutasue merces, ne uendere, aut exponere cuiquàm liceat.

Aleæ, pagellæ lusoriæ, laruæ, personarum uestes, neq;

uen-

uendantur, neq; ad eum usum locentur: aut ludo aliquo, die festo, uti liceat.

Gladiatoria, saltatoriaue, et id genus exercitatio ne adhibeatur.

Circulatores rem nullam, ne aquam quidem, aut puluerem, medicamenti specie uendant.

In illius diei ad uictum necessarijs, hæc præterea seruentur.

Tabernarum ostiolum tantum pateat: umbracula non nisi pani ob pluuiam, et solem opponantur. Illa, medicinalibus exceptis, mane post signum tertiæ, hyeme post 22. horam, æstate post 21 idq; cathedralis, et regularium Ecclesiarum uespertinis horis recitatis, ne ullo pacto ante uendantur: in plateis Ecclesiarum non minus uiginti passibus longè: dum uero diuina solenniter in eisdem celebrantur, ne unquam exponantur.

Pistores frumentum, et farinam ne purgent, aut panem coquant.

Molitores frumentum ne asportent, neq; in pistrino, et molendino artis suæ opus aliquod exerceant, nisi fortè ob plurium dierum continuationem necessitas cogat, idq; ab ijs, quos huic curæ præfecerimus, facultate primum in scriptis impetrata.

Atq; ut omnis in posterum tollatur scrupulus, festorum dierum initium antecedenti media nocte, finem consequenti item media sumendum declaramus.

DECRETVM XXII.

AVaritiæ sordidissimum uitium, quæ Apostolo teste idolorum seruitus est, cum semper Christianum hominem, tum uel maximè mutui, aut emptionis contractibus ineundis cauere decet. Quod quia non sine magno animi nostri dolore in non leuem animarum perniciem, in hac nostra ciuitate, ac diœcesi, in dies magis ac magis serpere, illicitisq; usuris et pactionibus augeri perspicimus, tanto malo, hoc decreto succurrere mederiq; cupientes: cum ferè pleriq; hoc tempore periculo, et fraudibus pleni sint, illum præcipue contractum in usum inducendum probamus, exhortamurq;, qui ad præscriptam Pij Quinti constitutionis formam traditur, conditionibus omnibus, quæ in ipsa pontificia sanctione declarantur, quàm diligentissimè seruatis: cum is absq; ulla usurarum suspitione, et crimine initus, satis tutum sit, et opportunum populorum necessitatibus remedium. Monendi tamen uel in primis sunt ij, qui huiusmodi censum emere uoluerint, ut animo suo concipiant, ac plane statuant, censuarium hunc, qui utiq; emptionis est, contractum non fictum, sed uerum ineundum, nec uero pecuniam in annuum aliquem censum conuertendam, ut ex ea uigesimam, aut decimam quintam partem recipiant.

Ac ne locus excusationi sit, aut per ignorantiam erretur, constitutionem ipsam, cum censualium contractuum formula, latino et uulgari sermone, ad horum

decre-

decretorum finem addendam curauimus; cum instrumenta omnia in ditione Sabaudiæ, à Notarijs uernacula lingua confici moris sit. A qua ne latum quidem unguem, pœnis et censuris, in eadem sanctione constitutis, discedant.

DECRETVM XXIII.

NE fraus ulla in posterum decreto fiat, iam diu pie ac religiose, tam prouinciali Mediolanensi tertio, quàm in diœcesana nostra synodo item Vercellensi, condito, ac Dei gratia in usum introducto, quo mulieribus capite non uelato, Ecclesiam ingredi interdictum est, id præterea cauendum esse censuimus, prout hoc synodali decreto cauemus, edicimus, atq; sancimus. Ne cui mulieri, cuiusuis illa gradus conditionisue sit, cum pilco, paleis intexto, quam Capellinam uocant, etiam uelo alioquin rite capite obtecto, in Ecclesia introire, uel in illa commorari liceat. Cum præter eam fraudem, illud etiam indignum uideri debeat, pijs quibusque ac religiosis oculis galeros eiusmodi, qui quidem in ædibus sæcularium principum, dum illæ in eorum conspectu sunt, deponi à mulieribus solent ob honoris ac reuerentiæ signum, in Ecclesiæ uerò, quæ domus Dei est, coram sanctißimo Sacramento, et sanctis Angelis, ei semper adstantibus, gestari. Sicut igitur est, pietate ac deuotione insignis fœmineus sexus, ita fore confidimus, ut prompto hilariq; animo,

M huic

huic nostræ sanctioni pareant omnes: cum præsertim illarum, quam plurimæ, nostro iam pridem nomine uix admonitæ, paleatos hos galeros, in Ecclesia deposuerint, nostroq; desiderio satisfacere non renuerint.

Vt autem quod in ciuitate iam usu receptum est, id etiam in diœcesi uniuersa seruetur: animarum curatores omnes, alijq; ecclesiarum rectores hoc decretum nostrum, uulgari sermone redditum, quamprimum de scripto legant atq; euulgent. Si quæ uero mulieres huic decreto nostro, non obtemperauerint, quindecim dierum spatio, post eius promulgationem transacto, quos unicuiq; peremptorie præstituimus: earum nomina parochi, alijq; omnes ecclesiarum quarumcunq; rectores, uel uicerectores, ad nos, uel ad uicarium nostrum deferant, ut contra eas grauibus etiam usque ad interdictum pœnis arbitrio nostro, pro culpæ ac contumatiæ modo irrogandis, agamus. Quicunque autem Ecclesiarum etiam regularium Rectores, aut ministri, eas admonere cõtempserint, aut coram eis, ut supra sancitum est, pileatis, diuina officia celebrarint, in eos, uti decretorum nostrorum contemptores, sacrorum canonum iure animaduertemus.

DECRETVM XXIIII.

QVicunque uero in his decretis nostris, in sexta hac synodo promulgatis, atque editis culpam aliquam contraxerit; is, præter pœnas, suo loco speciatim supra san-

ſancitas, alias etiam, prout canonum iuris eſt, et grauiores præterea dabit, arbitratu noſtro, pro culpæ, delictiue ratione.

FINIS.

LAVS DEO.

INSTRVCTIONES DOMIBVS BENEDICENDIS.

VETEREM illum ædibus, atque ædificijs benedicendi morem, ritumq. ex ſanctæ Eccleſiæ inſtituto introductum, ac decreto prouinciali reſtitutum, ut parochi, et reliqui animarum curatores, ad quos religioſæ illius benedictionis munus pertinet, pie ſancteq. obſeruent; et laici, quorum ædificijs, domicilijsq. benedicendum eſt, ſpiritalia inde commoda uberrima in Domino capiant, hæc præſcribimus.

Primò parochus huius benedictionis munus aggrediatur, nulla peccati mortalis impuritate inquinatus: cuius ſane conſcius, pœnitentiæ ſacramento, conſcientiæ ſuæ ſordes eluat: tum piæ uoluntatis propoſito, et, quo debet, religionis officio, ad illud rite conficiendum accedat.

Pridie illius diei, quo hoc benedicendi munus aggreditur, præcipuo ſanctæ præcationis ſtudio, et aliquando ieiunio ſe paret.

Quo die ad benedicendum aggreditur, antea quàm aggrediatur, Miſſæ ſacrum celebret. Quam ob cauſam tionem de ſpiritu ſancto, pie recitet.

Nec uerò noctu, ſed interdiu benedictionem peragat.

Ritu vtatur ad præſcriptum ſequentis formulæ.

Benedictionis huius cauſa, occaſioneue, nihil plane quicquam, uel minimum, neque is, neque ſacerdotes, clericiue, quos ſibi ſocios adiutoreſue adiunxerit, petat, exigat, extorqueatue: ac ne ſponte quidem ultroq. oblatum, donoue datum capiant.

Si complurium parochialis vicinę ędium benedictionem in aliqua hebdomada obire inſtituerit; dominico die, proxime præcedenti, proceſsionem intra parochiæ fines, uel

uel in ambitu Ecclesiæ, ut occasio tulerit, rite religioseq. agat. Cui processioni clerici, capellaniq. sacerdotes eiusdem parochiæ, superpelliceo de more induti, intersint; stataq. supplicationis publicæ munera præstent. Ad eandem præterea solemni campanarum sono euocentur laici illius uiciniæ, præsertim quorum domibus benedicendum est.

In hoc benedictionis officio, ne omittat ex nostrarũ instructionum præscripto patres fam. docere, recteq. erudire ad optimam familiæ educationem. Cuius etiam rei argumentum satis amplum habebit cùm ex Euangelio, quod in eo munere legi moris est, tum etiam ex statis illis religiosis precibus, & orationibus, quæ adhibentur.

Dum ad benedictionis munus accedit, in eoq. uersatur, superpelliceo, et stola utatur.

Clericus adsit, qui crucem in uia, & in benedictionis ministerio præferat.

Alter item, qui aquæ benedictæ uasculum, cum aspergillo ferat.

Ceteri sacerdotes, et clerici, si qui alij adsunt, ordine distincti, bini sequantur, ut in publicis supplicationibus fit, et suo quique superpelliceo de more induti.

Ne ædibus benedicat, ubi publice excommunicati habitant.

Nec uero illis, quas fœneratores, meretrices, manifestoq. criminosi homines incolunt.

Neque ijs item, quæ aleis, ludisq. uetitis publice expositæ sunt.

Nec uerò officinis, ubi scilicet aleatoriæ tabulæ, pagelleue lusoriæ ueunduntur.

Paterfam. autẽ, cuius ædibus, domicilijsè benedicetur, pie se præparabit ad eam sancto desiderio suscipiẽdam. Ideo familiam suam recte recognoscet: monebitq. uniuersos, et singulos, ad præscriptum regularum, quæ de christiana familiæ institutione editæ sunt.

Amoueri curabit, quæcũque domi suæ sunt, christianæ familię institutione indigna, quæq. Dei oculos offendunt

Libros,

Libros, de rebus obſcœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhoneſtis, ceterisq. id generis, inflammari curabit.

Libros de uitæ religioſæ, ſpiritalisq. inſtitutis, atque exercitationibus introducat.

Imagines obſcænas, turpes, prophanas, quæq. ad inanẽ uoluptatem alliciant, planè incendet, amouebit item.

Sacras Chriſti Domini, Beatiſsimę Virginis Marię, matris, et Sanctorum præſertim imagines, quos patronos ſibi delegit, ubique domi ſuæ locis honeſtis ſtatuet.

Teſſeras, aleas, aleatoriaſue tabellas, pictaſq. ad ludum pagellas, amictus perſonatos, ceteraq. inſtrumenta ad turpem perſonarum uſum procul abijciet.

Sacerdoti, ad benedictionis munus accedenti, obuiam in primaria ædium ianua, ſimul cum tota familia fiet: eundemq. benedicentem omni domus loco proſequetur religioſo pietatis ſtudio.

Dum Sacerdos benedicit; nemo domi ſuę, uel in officina, cui benedicitur, quicquã ſeruilis, mundanine operi fiet.

PRECES

BENEDICTIONIS AEDIVM.

Benedictio aquæ ad uſum benedicendæ domus fieri poteſt aut in Eccleſia, aut in limine, ueſtibuloue domus, cui benedicitur.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini. ℟. Qui fecit cœlum, et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio:

OMnipotens ſempiterne deus, qui ſacerdotibus tuis præ cęteris tantam gratiam contuliſti, ut quicquid in tuo nomine digne perfecteq. ab eis agitur, a te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam, ut, quod modo uiſitaturi ſumus, uiſites, et quicquid benedi-

dicturi,

dicturi, bene ✠ dicas: et ad ea, quę acturi sumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: sintq ad nostræ humilitatis ingressum, et introitum, sanctorum tuorum meritis fuga demonum, depulsio pestis, et angeli pacis ingressus. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit ps. Graduales, et prosequitur cum choro, quinque primos: aquam benedictam aspergendo per loca domus.

Psalmus 119.

AD dominũ cũ tribularer, clamaui: et exaudiuit me.
Domine libera animam meam à labijs iniquis: et à lingua dolosa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?
Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.
Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitãtibus Cedar: multum incola fuit anima mea.
Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.
Gloria patri, et filio, et spiritui sancto.
Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. *Psal.* 120.

LEuaui oculos meos in montes: unde ueniet auxilium mihi.
Auxilium meum à domino: qui fecit cęlum et terram.
Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.
Ecce non dormitabit neque dormiet: qui custodit Israel.
Dominus custodit te: dominus protectio tua super manum dexteram tuam.
Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.
Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam dominus.
Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum: ex hoc nunc et usque in sæculum.
Gloria &c. *Psal.* 121.

LOetatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum domini ibimus.

Stan-

Stantes erant pedes nostri : in atrijs tuis Ierusalem.
Ierusalem quæ ædificatur ut ciuitas : cuius participatio eius in idipsum.
Illuc enim ascenderunt tribus, tribus domini : testimonium Israel, ad confitendum nomini domini.
Quia illic sederunt sedes in iudicio : sedes super domum Dauid.
Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem: et abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua : et abuudantia in turribus tuis.
Propter fratres meos et proximos meos : loquebar pacem de te.
Propter domum domini Dei nostri : quæsiui bona tibi.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.
Sicut erat &c. *Psal.* 122.

AD te leuaui oculos meos : qui habitas in cœlis.
Ecce, sicut oculi seruorum : in manibus dominorum suorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad dominũ Deum nostrum, donec misereatur nostri.
Miserere nostri domine, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione.
Quia multum repleta est anima nostra : opprobrium abundantibus, et despectio superbis.
Gloria &c. *Psal.* 123.

NIsi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia dominus erat in nobis.
Cum exurgerent bomines in nos : forte uiuos deglutissent nos.
Cùm irasceretur furor eorum in nos : forsitan aqua absorbuisset nos.
Torrentem pertransiuit anima nostra : forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
Benedictus dominus : qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.
Anima nostra sicut passer erepta est: de laqueo venantiũ.
Laqueus contritus est; et nos liberati sumus.

Adiu-

Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cęlum et terram.

Gloria patri &c.

Quibus finitis, dicit Sacerdos stans in ipso limine, aut uestibulo domus. ℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmum tuam domine clementer ingredere, & in tuorum tibi corda fidelium perpetuam construe mansionem; & præsta, ut in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia, nec contagio pestis. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde incipit, ac dicit psalmos sequentes; et procedit aspergendo iterum loca domus. *Psal.* 124.

QVi confidunt in domino, sicut mons Sion: nõ commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Montes in circuitu eius, et dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc et vsque in sæculum.

Quia non relinquet dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Benefac domine bonis, et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israel.

Gloria &c. *Psal.* 125.

IN conuertendo dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione.

Tnnc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere cum eis.

Magnificauit dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Conuerte domine captiuitatem nostram: sicut torrens in austro

Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant: mittentes semina sua.
Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.
Gloria &c. *Psal.* 126.
NIsi dominus ædificauerit domum: in uanum laborauerunt qui ædificant eam.
Nisi dominus custodierit ciuitatem: frustra uigilat qui custodit eam.
Vanum est uobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.
Cum dederit dilectis suis somnum. ecce hæreditas domini, filij merces fructus uentris.
Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.
Beatus uir qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.
Gloria &c. *Psal.* 127.
BEati omnes qui timent dominum, qui ambulant in uijs eius.
Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.
Vxor tua sicut uitis abundans: in lateribus domus tuæ.
Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicetur homo: qui timet dominum.
Benedicat tibi dominus ex Syon: et uideas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et uideas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.
Gloria patri &c. *Psal.* 128.
SAepe expugnauerunt me à iuuentute mea: dicat nunc Israel.
Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.
Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam.
Dominus iustus cõcidet ceruices peccatorũ: confundantur et conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.
Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam euellatur exaruit.

De quo non impleuit manum ſuam qui metet : et ſinum ſuum qui manipulos colliget.
Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio domini ſuper uos: benediximus vobis in nomine domini.
Gloria &c.
Quibus finitis, ſtans in limine Portæ primariæ, dicit.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te ueniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuę totus aſsiſtis, totus operaris: adeſto ſupplicationibus noſtris: ut huius domus ædificatæ ſis protector, et nulla hic nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat: ſed uirtute ſpiritus ſancti, et operatione fiat tibi hic purum ſeruitium, et deuota libertas exiſtat. Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen.
Poſt incipit Pſalmum, De profundis. *et proſequitur ipſum, et alios ſequentes, ac interim tertiò aſpergit domum aqua benedicta.*

Pſalmus. 129.

DEprofundis clamaui ad te domine: domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes, in uocē deprecationis meæ.
Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit?
Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te domine.
Suſtinuit anima mea in uerbo eius, ſperauit anima mea in domino.
A cuſtodia matutina vſq, ad noctem, ſperet Iſrael in domino.
A cuſtodia matutina vſq; ad noctem, ſperet Iſrael in domino.
Quia apud dominum miſericordia, et copioſa apud eum redemptio.
Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria &c. *Pſal. 130.*

DOmine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.
Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus super me.
Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.
Sicut ablactatus est super matrẽ suã, ita retributio in anima mea.
Speret Israel in domino, ex hoc nũc et usque in sæculum.
Gloria &c.

Psal. 131.

MEmento domine Dauid, et omnis mansuetudinis eius.
Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob.
Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.
Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem.
Et requiem temporibus meis; donec inueniam locum domino tabernaculum Deo Iacob.
Ecce audiuimus eam in effrata, inuenimus eam in campis syluæ.
Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius:
Surge domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.
Sacerdotes tui induãtur iustitiam, et sancti tui exultent.
Propter Dauid seruũ tuum: non auertas faciẽ Christi tui.
Iurauit dominus Dauid veritatem, et nõ frustrabit eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos.
Et filij eorum vsque in seculum, sedebũt super sedem tuã.
Quoniam elegit dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.
Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.
Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes eius induam ſalutari : et ſancti tui exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.

Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Gloria &c. *Pſal.* 132.

ECce quam bonum, et quam iocundum, habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

Quod deſcendit in oram ueſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit dominus benedictionem, & uitam uſque in ſeculum.

Gloria &c. *Pſal.* 133.

ECce nunc benedicite domino, omnes ſerui domini.

Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri.

In noctibus extollite manus ueſtras in ſancta, et benedicite domino.

Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cælum, et terrã.

Gloria &c.

Quibus completis dicit Sacerdos, ſtans in limine ueſtibulo ue portæ primariæ. ℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus uobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, et hanc domum oculis tuæ pietatis illuſtra, deſcendat ſuper habitantes in ea, gratiæ tuæ larga bene ✠ dictio, ut in his manufactis habitaculis cum ſalubritate manentes, ipſi tuum ſemper ſint habitaculum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde proceditur ad principaliorem locum domus : ubi Euangelium à diacono legitur, et dicitur.

℣. Dominus uobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Se-

℣. Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore ingressus Dominus Iesus, perambulabat hierico. Et ecce uir nomine Zacheus, et hic erat princeps publicanorum, et ipse diues. Et querebat uidere Iesum quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et precurrens ascendit in arborem sicomorum ut uideret illum, quia illac erat transiturus. Et cum uenisset ad locum, suspiciens Iesus uidit illum, et dixit ad eum. Zachee festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum uiderunt, omnes murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zacheus dixit ad dominum. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus, et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum. Quia hodie salus huic domui facta est, eo quod, et ipse filius sit abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, et saluum facere quod perierat. *Deinde benedicitur incensum isto modo a Sacerdote.*

PEr intercesśionem beati Michaelis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, et omnium sanctorum angelorum incensum istud digneris domine bene ✠ dicere, et in odorem suauitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea idem Sacerdos ponit incensum super ignem in thuribulo, et incensat domum, dicendo.

Incensum istud, a te benedictum, ascendat ad te domine. ℟. Et descendat super nos misericordia tua. *Finita incensatione dicit.* ℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te ueniat.
℣. Dominus uobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TE deum patrem omnipotentem suppliciter exoramus, pro hac domo, et pro habitatoribus eius, ut eam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, ut sint promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud,

tribue

tribue etiam eis de rore cæli abundantiam, et de pinguedine terræ uitæ subsidium, et desideria eorum ad effectum tuæ miserationis perducas, et hanc domum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, sicut benedicere dignatus es Abraham, Isaac, et Iacob, ut intra parietes, domus huius, et angulos eius inhabites. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Cuius orationis loco, cum domus religiosæ, aut canonicalis, benedictio fit, dicitur sequens. *Oratio. I.*

DEfende, quæsumus Domine, beata Maria, semper uirgine, intercedente, cum omnibus sanctis, istam ab omni aduersitate familiam, et da eis ueram cum tua uoluntate concordiam, ac ut in ueritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Oratio. II

BEne ✠ dic, Domine Deus omnipotens, domum istam, ut sit in ea, sanitas, castitas, uictoria, uirtus, pax, charitas, et mansuetudo, plenitudo legis, et gratiarum actio, Deo patri, et filio, et spiritui sancto, et hęc benedictio maneat super hāc domum, et super habitantes in ea. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Oratio III.*

VIsita, quæsumus domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle, et angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super eam semper. In nomine ✠ patris, et ✠ filij, et Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen.

Postremo Sacerdos benedicit domum, et habitantes in ea, dicendo.

Et benedictio Dei omnipotentis, pa ✠ tris, et ✠ filij, et Spiritus ✠ sancti descendat super hanc domum, et omnes habitantes in ea, et maneat semper. ℟. Amen.

RICOR-

RICORDI
PER LI PADRI, E, MADRI DI FAMEGLIA, E PER TUTTI i, capi di casa.

D*Eueno i Padri, è, le Madri di famiglia, e tutti quelli che hanno cura ò gouerno d'altri, hauer sempre in memoria quel terribile esempio di Heli sacerdote, il quale se ben ammonì, et riprese molte uolte i suoi figliuoli, dispiacendogli molto la dissoluta uita loro, nondimeno perche non gli coresse con la douuta efficacia, e non procurò come conueniua, che in effetto si emendassero, fu seuerissimamente da Dio castigato, che in un giorno stesso uistesi prima dissipato l'essercito, e presa l'arca di Dio, morti i figliuoli, dispersa e morta la moglie, cadde della seggia, e rotto la ceruice se ne morì senza alcuna speranza di posterità. Per fuggir adunque si graue castigo procurino di uiuer essi, e di far uiuer i suoi Christianamente, e perciò leggano ò facciano leggere questi ricordi, almeno una uolta il mese alla presenza della sua famiglia.*

Del numero, & qualità di famiglia.

Il Padre di famiglia, ò capo di casa, riccua è tenga solo quel numero di seruidori, e di famiglia, di che hà bisogno, e che può commodamente sostentare con l'entrate, è beni suoi, per non far debiti, ne far patir loro de i douuti stipendij. Habbia molta cura, quando piglia persone nella casa ò famiglia, non u'entrino bestemmiatori, concubinarij, huomini dati alle dissolutioni, ne altre persone uitiose, ò suspette.

Della uigilanza.

Sia uigilante sopra tutto con solicitudine, uolendo saper que che fa ogn'uno, et osseruando tutti i loro andamenti, con-

uersationi, è prattiche.

Gli sarà grande aiuto hauer una persona fidata è sicura di casa, ò della uicinanza, se la famiglia è di poco numero, che sia come censore secreto de i costumi, che osserui tutti con pura carità è Zelo dell'honor di Dio, è gli referisca tutti i disordini, è pericoli spirituali, che in loro uede, ò intende.

Della correttione.

Quando gli uien detto alcun mal di loro, non sia troppo facile a creder ogni cosa, che gli uiene all'orecchie, ma prima essamini bene è ritroui la uerità.

Quelli che doppò esser ammoniti, più uolte di cose importanti, non si è emendato, se sono seruitori, ò simili, gli mandi fuori di casa; se sono figliuoli gli castighi. Ne comporti in loro biastemma, furti, concubinato, ò altre dissolutioni di uita è costumi.

Non tolleri in casa sua alcuno che non si confessa, è cõmunica la Pasqua, et chi non sa la dottrina christiana, ò almeno il Pater, l'Aue Maria, il Credo, et i diece commandamenti della legge di Dio, ne si curarà d'impar argli.

Della custodia.

Faccia che i figliuoli, è i seruitori maschi, è femine dormano di tal modo distinti, è separati, che non ui sia pericolo d'inconueniente alcuno, è proueda che ciascuno habbia il suo letto separato.

E doue il marito e moglie dormano insieme, non si tenga figliuoli ò figliuole a dormire nel medemo letto, ò uero nella medema camera, ma in altro luogo sicuro è separato, quanto è possibile.

Veda che in casa non siano libri cattiui, ò pitture dishoneste, è non si cantino canzoni lasciue, ma faccia più tosto che ui siano delle spirituali, et Christiane, et si cantino delle laude è cose diuote: dourà uisitare la casa tre ò quattro uolte l'anno alla sprouista, et le camere, et casse ancora

della sua famiglia per purgarla da ogni uanità.

Auertisca che i suoi non conuersano in casa, ne fuori con male compagnie, è fuggano ogni occasione di peccato, che non stiano in otio, ma ogn'uno habbi qualche occupatione honesta.

Vsi ogni diligenza che le donne non stiano sopra le porte, ò uero alle fenestre, ne manco usino liscij, ò belletti, ò uero altre uanità.

Procuri ancora che non uadano uagando è discorrendo qua è la, senza occasione, ma che stiano quiete in casa, è sollecita ciascuna al suo officio, et all'opere sante è pie, è uadano santamente alle loro deuotioni.

Che non uadino fuori di casa in qual si uoglia luogo, senza hauer uelato il capo con drappo di tela, ò di uelo non trasparente.

Della administratione dell'entrata.

Guardasi di spender in cani ò uero caualli souerchi quello che può dare la uita à molti poueri di Christo.

Et medemamente d'ogni altra spesa inutile è superflua, ricordandosi che delle facoltà che Iddio gli hà date, non tanto è patrone, quanto administratore, et ne hà da render conto à Dio.

Faccia pronta è largamente elemosina, e procuri che suoi figliuoli sino da gl'anni teneri si usino à far il medemo officio.

De i trattamenti della famiglia.

Vsi charità è discretione con tutta la famiglia tratandola, è facendola trattar bene, e con amore, perche non sia stratiata in alcuna cosa, è specialmente nel pagar le douute mercedi à suoi tempi.

Non dica parole ingiuriose, ne à figliuoli, ne à qual si uoglia altre persone. Però si sforzi di rafrenar l'ira, quando gli occorre alcuna cosa contra la sua uolontà si in casa, come fuori.

Quan-

Quando alcuno de suoi è infermo lo uisiti spesso, & esorti all'emendatione della uita, et habbia cura che à tutti i modi si confeßi nel tempo de i tre giorni prescritto dalla bolla di Pio V. dandone la fede al medico.

Vsi ogni diligenza, perche gl'infermi siano gouernati con carità è prouisti delle medicine, et altre cose necessarie per la cura loro, è non gli mandi all'ospedale poi che in sanità se ne è seruito.

Della pace, è concordia.

Procuri di mantener la pace è quiete in casa, e che ui sia la charità fraterna, e non si mostri partiale ad alcuno, et comporti ugualmente tutti con patienza.

Non permetti che i suoi di casa faccino ingiuria ad alcuno, ne stiano in inimicitia, ò portino odio, ma occorrendo qualche dispiacere ueda di riconciliargli subito, ò sia dentro, ò fuori di casa.

Saria bene che nissuno portasse arme, se non fosse bisogno per diffesa ò per conuenienza necessaria dell'offitio loro, ò per altra neceßità manifesta.

Gli essorti spesso à perdonar à chi gli offende in parole, ò uero in fatti, et non star sopra i pontigli dell'honor mondano.

Dell'Essempio.

Dia con parole è con fatti essempio à tutti i suoi, auertendo di non dire, ò fare in presenza loro cosa che non conuenghi, onde eßi piglino ardire di far il medemo.

De i Documenti.

Non ceßi mai di ammonirgli, et instruergli, è non laßi di dir loro la uerità per nõ contristargli, ò per altro rispetto.

Especialmente ricordi loro spesso, che non ingannino mai alcuno, ne togliano in qual si uoglia modo quello che non è suo. Non facciano fondamento nella nobiltà, grandezza, ma nelle uirtù Christiane, et nella buona uita.

Fuggano la superfluità delle cose temporali, è più tosto le dispregino, è le habbino per uili come sono in effetto, che

ne ſiano ingordi.

Quando uiene dalla predica, ò dalla ſacra lettione, inſegni loro, et eſſequiſca quello che haurà all'hora imparato pertinente alla diſciplina de i coſtumi Chriſtiani.

De gl'eſſercitij di pietà, et diuotione.

Oſſerui con pietà è diuotione tutte le buone conſuetudine della ſanta Chieſa, et habbia cura che nella caſa ſua, non ſe ne perda alcuna.

E però non laſci la benedittione della caſa nella Paſqua di Reſurrettione, ò in altro tempo nel qual uſa la Chieſa di aſperger le caſe con l'acqua ſanta.

Coſi mandi alla Chieſa i frutti, pane ò altro cibo, quando è tempo di fargli benedire dal Sacerdote.

Non ponga nome de gentili à ſuoi figliuoli ma di ſanti, perche ſiano loro auocati ſpeciali, et eſſempio da imitare.

Procuri che ſi leui ogni ſuperſtitione di caſa, et ſi ricorra in ogni coſa à Dio, et in lui ſolo ſi confidi è ne ſanti ſuoi.

Che tutti della famiglia ſiano chriſmati al ſuo tempo.

Si come non deue con minaccie indure i figliuoli ò figliuole alla religione, coſi non deue anco impedirgli ò diſuadergli da farſe religioſi, quando u'haueſſino uolontà.

Habbia cura che i figliuoli odano la Meſſa ogni dì, ſe è poſſibile, et tutti gli altri almeno le feſte.

Che la feſta non ſtiano ocioſi, ne uadino uagando, ma ſpendano quel ſacro giorno utilmente, et piamente.

Conduca la famiglia hor tutta, hor parte ſecondo che può ſeco al Veſpro, et à i diuini officij, et ſpeſſo alle ſtationi, et à uiſitare alcuna uolta gl'Hoſpitali, et ad altre ſimili pie occupationi.

Gl'incamini à frequentar tutte le publiche diuotioni è ſpecialmente gl'officij pontificali, le proceſſioni, le prediche, le orationi.

Tenga in caſa numero conueniente di lumi per accompagnare il ſantiſſimo Sacramento, quando ſi porta in proceſſione

oucro

ouero a qualche infermo, e ciascuno di casa che non sia impedito al suono della campana uadi col suo lume a seruire al suo Signore.

Conduca, o faccia condure ogni festa, tutti di casa alla scola della Dottrina christiana, e se pure è necessario lasciare alcuno alla guardia della casa, faccia, che quello, che ui restarà una uolta, non ui resti l'altra, affinche tutti imparino detta dottrina, o almeno le cose piu necessarie.

Vsi diligenza, che quelli, che sono in età di confessarsi, et di communicarsi, siano ben instrutti circa la confessione, et la santissima communione, perche non differiscano a riceruare tal aiuto spirituale, quando ne sono capaci.

E frequentino poi santamente detti sacramēti ogni settimana, ò almeno ogni mese, et nelle solennità maggiori, e sarà bene, che la communione si faccia spesso da tutta la famiglia insieme, è ne la Chiesa propria parochiale.

Che si confessino tutti da un medemo confessore, o almeno da confessori piu qualificati, che possa incaminargli meglio alla uia di Dio.

Che in ogni modo si osseruino i digiuni della quadragesima, delle quatro tempora, e delle uigilie cōmandate dalla santa Chiesa, et delle altre che siano diuote, o di consuetudine del luogo.

Che tutti siano ben instituiti a far oratione, e la facciano in effetto mattina e sera, e specialmente l'esame di conscienza, quando uanno a dormire.

Percio saria bene, che mattina e sera, o almeno la sera, quando suona la campana si congregasse la fameglia tutta a far oratione insieme alla Chiesa, ouero in casa auanti qualche sacra imagine.

Per il quale effetto conuerria accomodar un oratorio separato quanto sia possibile in luogo decente, che possa seruire a tutta la casa.

Sarà anche bene, che ogni capo di casa nel fine dell'oratione

della

della sera, ouero auanti di andar a letto asperga la famiglia tutta con l'acqua benedetta.

Deurà in ogni modo nella andar à mensa benedirla egli, ò farla benedire, e doppò far medemamente il rendimento di gratie.

Et se non a tutta la mensa, almeno a buona parte far leggere qualche libro spirituale approbato, se ha chi possa leggere, o figliuoli, o altri.

La sera auanti le solennità esorti tutta la famiglia à uiuer bene, e spendere bene quelle feste, e frequentar con frutto, i sacramenti, e l'oratione, e le prediche, e sacre lettioni.

E per adimpire meglio l'officio loro, giouarà molto, che tutti i capi di casa si congreghino alcune uolte, et almeno una uolta il mese auanti il suo Parocho, perche e da lui, e l'uno dall'altro, piglino tutta uia maggior lume di ben gouernare le case e famiglie loro, oltre che con quella occasione potranno commodamente trattare de i bisogni della Chiesa, e parochia si materiali, come spirituali.

RICORDI
Per il viuere Christiano,
A ogni stato di persone.



La natura nostra già guasta per il peccato, da se è tanto inchinata al male, che facilmente lasciamo, et si smentichiamo di far bene. Però habbiamo dibisogno de aiuti, et incitamenti al uiuere bene, et di chi continuamente ci l'auertisca.

